



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem**

**Opfermann, Paul**

**Moguntiae, 1769**

Dissertatio II. De Homine lapso.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

militantem; vel *anagogicus*, qui spectat res ad vitam æternam, aut triumphantem Ecclesiam pertinentes; vel *tropologicus* aut *moralis*, qui est de rebus ad mores pertinentibus. A sensu *mystico* probè, discerni debet sensus *adcommodatitius*, qui sc. nec immediatè, nec mediatè per verba S. Scripturæ exprimitur, ideoque nec à Spiritu S. intentus est.

## DISSERTATIO II.

*De homine lapsò.*

**I**nnocenti Homini succedit homo lapsus. Duplex 53. autem hominis lapsus distingui potest, alius *originalis*, cum nempe omnes *Ad. 2* posterì (excepta B. V. Maria) legem divinam in *Adamo* tamquam in Capite morali transgressi sunt; de quo videatur *Tomus III.* Alius *personalis*, dum quis voluntate physice propriam legem Dei violat. Hic autem lapsus personalis cum libera legis transgressio sit; ea quæ ad libertatem in statu naturæ lapsæ pertinent, hoc loco primùm discutiemus, de Legibus deinde acturi. Libertatis verò indoles & natura ut clarior sit; quæ ad voluntarietatem actûs humani pertinent, præviè exponenda sunt. Utrique moralitas humanorum actuum haud incongruè subjicietur.

## CAPUT I.

*De Voluntarietate actûs humani.*

**A**ctus humani à TT. vocantur illæ actiones, quæ 54. ab homine fiunt humano modo, *h. e.* delibe- Actus  
ratè, & ex libera voluntate. *Illæ solæ actiones vo-* hu-  
*cantur propriè humanæ* (inquit S. THOMAS I. 2. q. 1. nus.  
a. 1.

a. 1.) quarum homo est Dominus. Est autem homo dominus per rationem & voluntatem; unde & liberum arbitrium esse dicitur facultas voluntatis, & rationis. Illa ergo actiones propriè humanae dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt. Quæ autem ab homine fiunt merè naturaliter, veluti respiratio; aut citra advertentiam & deliberationem, actus hominis dicuntur. Siquæ autem aliæ actiones homini convenient, possunt dici quidem hominis actiones, sed non propriè humanae, cum non sint hominis, in quantum homo. Idem S. D. loc. cit. Actus humani vel sunt elicitæ, qui à voluntate immediatè & immanentè procedunt, uti actus amoris; vel imperati, qui ex voluntatis imperio ab aliis potentiis producuntur, veluti locutio. Quin actus ab ipsa voluntate elicitus aliquando imperatus est, ut cum voluntas actum contritionis sibi imperat. Quo quidem in casu actus ille elicitus simul imperans nuncupatur, eo quod alium adhuc actum imperet.

55. Vo-  
lun-  
tari-  
um.  
Voluntarium est, quod à principio intrinseco, affectivè, & cum cognitione finis procedit. Itaque actio posita ab homine per vim coacto, vel contra efficacem voluntatis inclinationem, aut citra cognitionem finis, objecti, & circumstantiarum ad rem pertinentium, veluti ab homine ebrio, eidem propriè & in se voluntaria non est. Sic homicidium, quod quis manu tuâ per vim apprehensâ perpetrat, tibi voluntarium non est; neque etiam occisio, quam ab alio fieri desideras, quin physicè, aut moraliter in eandem influas, voluntaria tibi est, quamvis volita sit; ipsum tamen huiusmodi deside-

desiderium tibi est voluntarium, & ad culpam imputabile. Si occidis patrem, invincibiliter judicans esse feram; equidem voluntaria est occisio, at non homicidium; sin constet esse hominem, quem trahere paras, sed invincibiliter ignores esse patrem; ubi occidis, voluntarium est homicidium, non verò parricidium. In foro tamen externo præsumptio stat contra reum, nisi veritate elidatur. Sæpius igitur actio est voluntaria, quin circumstantiæ sint voluntariæ, quia cognitiæ non sunt. Voluntario opponitur *violentum*, quod provenit à principio extrinseco, passo efficaciter renitente. Actus brutorum *spontanei* duntaxat dici debent, quia proportionem mediorum cum fine non cognoscunt. Neque etiam motus vitales hominis voluntarii propriè sunt, eoquod à prævia cognitione dirigi nequeant, ut sint, vel non sint; ut hoc vel alio modo peragantur. Nolitiones autem hominis propriè sunt voluntariæ, quia ille ipse actus, quo aliquid respuitur, volitus est, licet objectum ipsum, utpote à voluntate rejectum, non sit volitum. Ceterà ipse actus volitionis dicitur voluntarius *formaliter & in se*, cum ipsum objectum volitum nonnisi *extrinsecè* voluntarium denominetur; quod proinde vel *actu* voluntarium est, si volitio in se, & actu adhuc existit; aut *virtualiter*, ubi volitio in aliquo solum effectu perduret; aut *habitualiter*, cum volitio actualis præcessit, quin vel in se, vel in aliquo effectu persistat, nec tamen etiam retractata est; sic peccatum non retractatum manet habitualiter voluntarium.

Voluntarium 1<sup>o</sup> aliud est *purum*, quod ex sola voluntatis inclinatione procedit, quin conjun-

Tom. II.

I

ctam

56.  
Divi.  
59

etiam habeat inclinationem in oppositum. *Mix-*  
 voluntaria aliud, quod adjunctam hujusmodi inclinatio-  
 nem habet. Patet in casu, quo mercator ex metu  
 naufragii merces in mare projicit, non projectu-  
 rus; quodsi naufragii periculum abesset: hæc nem-  
 pe projectio mercium simpliciter (non tamen purè)  
 voluntaria est, quia fit juxta efficacem voluntatis  
 inclinationem; hic tamen voluntatis consensus quia  
 cum aliqua renitentia, licet inefficaci conjunctus  
 est; idcirco ista actio simpliciter voluntaria est, &  
 secundum quid involuntaria, adeoque exemplum  
 voluntarii mixti præbet. 2<sup>o</sup>. Aliud est voluntarium  
*in se, & directum*, quod voluntas immediatè, &  
 in se intendit; aliud *indirectum & in causa*, quod  
 quis vult in sua causa, cum qua videlicet illud con-  
 nexum esse cognoscit. Ut verò quid in causa vo-  
 luntarium sit, requiritur primò, ut quis potuerit,  
 ac debuerit prævidere effectum illum ex tali causa fe-  
 cuturum esse. Hinc ebrietas Noë à culpa excusari  
 solet, eoquod vini ignoraverit vires. Sic etiam  
 perjuria in plena ebrietate prolata non censentur  
*moraliter* voluntaria illi, qui pejerandi periculum  
 antea inculpabiliter ignoravit. Secus si hujusmodi  
 jam aliàs à se prolata scivit. 2<sup>dò</sup> ut in ejus potesta-  
 te fuerit causam ponere, vel non ponere; alioquin  
 sicut causa non est libera, & imputabilis, ita nec  
 effectus. Sic homicidium in urbe patratum non est  
 moraliter voluntarium Gubernatori, si illud impe-  
 dire non potuit. Secus si ratione sui muneris im-  
 pedire illud potuisset, & vel ideo ex justitia fuit  
 obligatus ad impediendum illud. Immo quoad  
 culpam contra charitatem est imputabile illi, qui ex  
 charitate illud impedire tenebatur, nec impedivit;  
 quam-

quamvis talis propriè homicida non sit, quia non peccavit contra iustitiam, ideoque nec homicidæ poenis in foro externo subiacet. 3tio ut causam, ex qua sequitur effectus malus, teneatur auferre. Hinc moraliter voluntarii sunt motus inhonesti ex lectione aut aspectu obscœnorum graviter illicito provenientes. Ex opposito nequit imputari Magistrati blasphemia subditi iusto supplicio adfecti. His adde: ut effectus sit moraliter voluntarius in causa *per se*, vel *physica*, vel *moralis*, satis est, quòd ea causa ut ab agente posita sit causa per se effectus prævisi, nec requiritur, ut adsit præceptum vitandi causam secundum se: patet in casu, quo quis sagittâ trajicit hominem, quem vincibiliter putabat esse feram. Nec tamen ideo damnum proximi est mihi moraliter voluntarium, quod ille sentit ex aqua in fundum ejus defluente, quam de jure à fundo meo prohibeo, quia illa derivatio aquæ est solum causa per accidens illius damni. Ut verò effectus sit moraliter voluntarius & imputabilis in causa *per accidens*, requiritur, ut talis causa sit prohibita eo fine, ne talis effectus sequatur; vel etiam satis est, si causa ponatur ex intentione talis effectus. Hinc motus inhonesti non censentur voluntarii Medico ex officio agenti cum ægrotis. Nec furtum servi est voluntarium Domino, absque intentione furti arcam apertam relinquenti, ut servi fidelitatem periclitetur.

Voluntario opponitur *involuntarium*, quod vel 57. est *negativè* tale, in sola negatione actus voluntatis consistens; vel *positivum* cum voluntas positivè resistit. Causæ non voluntarii communiter quatuor censentur, videlicet *vis*, *metus*, *concupiscentia* & *igno.* *causæ.*

*ignorantia.* Violentum S. THOMAS 2. 2. q. 175. a. 1. vocat, *cujus principium est extra, nil conferente eo, quod vim patitur.* Et *violentia*, seu vis absoluta, l. 2. ff. *quod met. caus. est majoris rei impetus, qui repelli non potest.* Violentia hæc soli corpori inferri potest, quia voluntas nequit cogi, quantum ad *actus internos & elicitos*, alioquin fieri posset, ut, cum volumus, non velimus; immo nec quantum ad *actus imperatos ut tales*: hi enim fiunt ex imperio voluntatis; igitur non reluctante voluntate. Confessio rei tormentis extorta non est strictè coacta, quia non est à principio extrinseco, & contra voluntatem efficacem, sed ab intrinseco procedit, ideoque reo est simpliciter voluntaria, quamvis secundum quid involuntaria sit, utpote contra vehementem rei inclinationem, & oppositam noleitatem. Ex eodem capite à culpa excusati non sunt, qui tormentorum vi à Fide defecerunt. Qui in Historia Ecclesiastica leguntur per vim & coactionem ad sacros Ordines promoti, illi vel in sui ordinationem (quod verosimilius est) post longam tergiversationem, saltem interiùs consenserunt; vel invalide ordinati fuissent, quod tamen vix dici potest de illis, qui subinde ordinum ministeriis perfuncti sunt. Actiones ex metu factæ simpliciter voluntariæ sunt, quia ex imperio voluntatis procedunt cognitione finis prælucente. Quamvis non rarò secundum quid involuntariæ sint, ut cum molestæ sunt, & damnosæ; tunc enim voluntas, saltem ineffaciter renititur. Attritio autem ex metu gehennæ concepta, ut salutaris sit, simpliciter & purè voluntaria esse debet, alioquin affectum ad peccatum non excludit.

cluderet. Ceterà ex nullo metu licitum est violare præceptum in illis circumstantiis, in quibus adhuc obligat etiam in casu metûs, veluti si actus, ad quos metus impellit, sint intrinsecè mali. Hinc nec mortis metus excusat à mendacio. Sin ea, ad quæ quis ex metu impellitur, intrinsecè mala non sunt, facit sæpe metus gravis, ut lex in tali casu non obliget. Sic comedens carnes, quo die prohibitæ sunt, ex metu mortis intentatæ, non peccat, quia lex cum tanto incommoda non obligat; nisi talis comestio cederet in contemptum vel odium Religionis.

*Concupiscentia* nomine hîc intelliguntur inordi-<sup>58.</sup>  
nati corporis animique motus ad bonum sensibile. Con-  
Alia est *antecedens*, quæ voluntatis consensum præ-  
cedit, atque in eum influit, ideoque & voluntarium<sup>scen-</sup>  
causat, immo auget; facit enim, ut voluntas ma-<sup>tia.</sup>  
jore conatu, & adfectu intensiore in objectum de-  
lectabile feratur. Cum tamen hæc concupiscentia  
antecedens aliquando causa sit, ut intellectus longè  
intentiùs sese applicet ad contemplandum objectum  
concupitum, & motiva allicientia; à considerandis  
verò motivis retrahentibus vel avertatur, vel omni-  
no impediatur. inde minuit, vel omnino tollit in-  
differentiam voluntatis, & libertatem, ac proinde  
ipsum etiam peccatum. *Passio* (inquit S. THOMAS  
de malo q. 3. a. 11.) *diminuit rationem meriti &*  
*demeriti, quia meritum & demeritum in electio-*  
*ne consistit, ex ratione præcedente. Passio autem*  
*obnubilat, vel etiam ligat iudicium rationis.*  
*Quantò autem iudicium rationis fuerit purius,*  
*tanto electio est perspicacior ad merendum, vel*  
*demerendum. Et 1. 2. q. 77. a. 7. Passio, in-*

quit, quandoque est tanta, quod totaliter aufert usum rationis, sicut patet in his, qui propter amorem, vel iram insaniunt, & tunc si talis passio à principio fuerit voluntaria, imputatur actus ad peccatum, quia est voluntarius in sua causa, sicut etiam de ebrietate dictum est. Si verò causa non fuerit voluntaria, sed naturalis... actus omnino redditur involuntarius, ac per consequens totaliter excusatur à peccato. Alia est consequens, quæ voluntatis actum consequitur, ab eoque pendet, veluti cum ex intenso voluntatis affectu in objectum sensibile excitatur passio in appetitu inferiore. Nempe motus appetitûs sensibilis, si vehementes sunt, in partem hominis inferiorem redundant. Atque hæc concupiscentia quia utpote consequens non movet voluntatem; idcirco nec auget, nec minuit voluntarium, aut liberum. Deque hæc intelligi debet S. THOMAS q. 66. a. 6. in ◉ dicens: *Quanto aliquis majori libidine, vel concupiscentia peccat, tantò magis peccat*, in quantum sc. ex illa major præviæ voluntatis intensio colligitur, aut voluntas non obstante rationis advertentiâ & libertate magis magisque inflammatur. Cetera TT. varios concupiscentiæ motus meritò discernunt: alios dicunt motus *primo primos*, qui omnem prorsus rationis usum & advertentiam de inhonestate morali anteverunt. Alios vocant *secundo primos*, qui exsurgunt cum semiplena rationis advertentia ad malitiam. Denique *secundo secundi* sunt, qui deliberatè & cum plena rationis advertentia admittuntur. Primi illi ab omni culpa immunes sunt: 2di nonnisi peccata venialia sunt, tametsi circa gravem materiam versentur; postre-

mi

mi à gravi culpa non vacant in materia venerea; in ceteris, si materia gravis sit: nam motus secundo secundi appetitûs irascibilis non erunt nisi venialis culpa, si materia fuerit levis. Itaque merito Pius V. damnavit hanc *Baji* propositionem 75. *Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati prohibiti præcepto: Non concupisces; unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum: Non concupisces; quamvis transgressio in peccatum non imputetur.* Non minùs reprobanda est hæc dictio *Jansenii* L. 2. de *statu nat laps.* c. 14. *Desideria peccatorum non tantum deliberata, sed etiam talia, quæ rationem antevertunt, sunt mala, turpia, illicita.* Certè *Lutheri*, & *Calvini* error fuit, quòd dicerent, concupiscentiam tam in renatis fonte Baptismatis, quàm non renatis, esse peccatum. Errorem hunc damnavit Synodus TRIDENTINA *Sess. 5. can. 5.*

## QUAESTIO I.

*Quomodo Ignorantia vincibilis se habeat ad voluntarium?*

**I**nter ignorantiam & nescientiam S. THOMAS I. 2. 59. q. 67. a. 2. hoc statuit discrimen, quòd illa sit Ignorantia, vel carentia scientiæ eorum, quæ homo scire tenetur; nescientia autem sit carentia scientiæ indebitæ. Est autem ignorantia 1<sup>o</sup> alia *juris*, qua lex ignoratur, ut si quis ignoret Scto *Macedoniano* vetitum esse filiofam. dare mutuum. Alia *facti*, ut si quis dans mutuam alteri pecuniam, hunc esse filiofam. ignoret. Ad ignorantiam *Juris*

ris revocatur *ignoratio pœnæ*, ut si quis percussioni Clerici ignoret adnexam esse pœnam excommunicationis. Utraque tam Juris, quàm facti ignorantia vel est *antecedens*, quæ omnem voluntatis actum antecedit, atque ideo nullâ ratione voluntaria est, unde & *invincibilis* dici solet, ac proinde ab omni peccato excusat. Vel est *concomitans*, cum qua actio subsequuta ita ponitur, ut etiam poneretur, quamvis ignorantia abesset, ut si quis vehementer cupiens occidere inimicum, hunc minime cogitans occidat, invincibiliter ratus esse feram. Vel est *consequens*, quæ voluntatis actum consequitur, unde & aliquo modo volita est, ideoque & *vincibilis*. De hac ignorantia dicit S. THOMAS I. 2. q. 76. a. 3. quòd sit *voluntaria vel directè*, sicut cum aliquis studiosè vult nescire aliqua, ut liberiùs peccet; *vel indirectè*, sicut cum aliquis propter laborem, vel propter alias occupationes negligit addiscere id, per quod à peccato retraheretur. Ignorantia directè volita dicitur etiam *adfectata*, utpote eorum, qui scire nolunt, ut loquitur S. AUGUSTINUS L. de peccat. mer. c. 3. Indirectè autem volita *negligentiæ* notam habet, atque ideo varios gradus habet, prout negligentia major, vel minor est. *Levis* censetur, cum indagandæ veritati magna equidem diligentia impenditur, ita tamen, ut quædam negligentia interveniat; proinde etiam venialiter solum culpabilis est. *Crassa & lata* datur, quando vix ulla adhibetur diligentia in veritate investiganda. His positis facilè statues, illud, quod ex ignorantia *antecedente* fit, esse involuntarium saltem interpretativè, quia comedens v. g. carnes die prohibito, sic animo dispositus est, ut  
 omni-

omnino istam comestionem non vellet, si de præcepto prohibitivo cogitaret. Ignorantia autem *directè* volita voluntarium adeo non minuit, ut potius augeat; *ex intentione enim voluntatis* (ut ait S. THOMAS I. 2. q. 76. a. 4.) *ad peccatum provenit, quòd aliquis vult subire ignorantiaè damnum, propter libertatem peccandi;* quamvis minuere videatur ex parte cognitionis, quia ubi est ignorantia quæcunque, ibi minùs cognitionis est. Multò magis ignorantia *indirectè* volita minuit voluntarium, ac proinde etiam peccatum, siue cognitionem spectes, siue adhæsiorem voluntatis; non tamen à peccato excusat, cum vincibilis sit; quod autem sit ex ignorantia vincibili, re ipsa volitum & cognitum est in sua causa, videlicet ignorantia, quam agens potuit, ac debuit impedire, aut tollere. Unde DAVID Ps. 24. petit veniam eorum, quæ ex huiusmodi ignorantia commiserat, dicens: *Ignorantias meas ne memineris Domine.* Equidem in casu, aut in sensu composito ignorantiaè vincibilis cujuscunque deest cognitio certa aut probabilis de lege existente; adest tamen suspicio vel dubium, ne fortè lex existat; qui igitur non obstante hoc dubio aut suspicione agit absque inquisitione veritatis, ita animo comparatus est, ut actionem poneret, etiamsi lege prohibitam sciret; & vel ideo culpæ ac poenæ reatum contrahit.

*Ut quis censeatur peccare ex ignorantia vincibili, requiritur aliqua advertentia ad legem Dei, vel malitiam actus, sic nempe, ut operans salutem formidet, aut suspicetur, ne id, quod agit, inhonestum sit; & tamen negligat veritatem indoga-*

60.  
Ad-  
ver-  
tentia  
ratio-  
nis.

gare.

gave. Nam ignorantia censetur theologicè vincibilis, & culpabilis, cùm datur potentia proxima illam vincendi (alioquin nulla daretur ignorantia invincibilis, quia omnis ignorantia remotè, & absolute, saltem per specialem Dei illustrationem superari potest) Hæc autem non datur, ubi nulla est rationis advertentia ad legem, vel malitiam actionis, quia sic nihil est, quod veritatis investigationem suadeat, cùm tamen ratio sine motivo aliquo prudente agere non soleat. Præterea quo pacto malitia actionis homini voluntaria sit, qui nullam illius cognitionem habet? Atque hæc dicta maximè procedunt de illis, qui bonâ fide operari consueverunt, debitamque honestatis & salutis suæ rationem habent. Siquis enim ex eorum numero sit, qui *Jobi 21.* dicebant: *Recede à nobis: scientiam viarum tuarum nolumus;* qui, inquam, mundo carni & damoni indulget omnia nihil eorum scire cupiens, quæ Fidei & morum sunt, quæque ad statum & munia sua pertinent; videntur, huic voluntariæ prævaricationes esse, tametsi ad singularum actionum inhonestatem ratio non advertat, aut etiam absit suspicio, ne id, quod nunc agit (nisi actio ex se honesta sit) illicitum sit. Talis enim quòd nullam habeat cognitionem de his, quæ ignorat, aut de inquirendi obligatione; hoc ipsum ei *indirectè* voluntarium est, quatenus directam & expressam voluntatem habet nihil sciendi eorum, quæ ad se pertinent; cùm sciat hac ratione multa se ignoraturum esse, quæ scire illum oporteret. Teneatur itaque retractare causam, sive ignorantiam, omnesque actus malos inde secutos confiteri. Addunt tamen nonnulli, actus hujusmodi peccaminosos

fos non imputari ad novam pœnam distinctam ab illa, quam quis meritus fuit ponendo causam; adeo quidem, ut si quis leviter duntaxat peccasset illam ponendo, actum quoque, qui inde secutus est, tantùm veniale peccatum sit, tamen si actus secundum se gravis foret; veluti si quis alteri ex ignorantia solum leviter culpabili dedisset venenum, ajunt mortem inde causatam ipsi equidem imputari, at non nisi ad culpam levem. In praxi tamen & re ipsa hæc & similia, saltem generatim, à peccato mortali disjungi vix posse videntur.

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* Si ad hoc, ut quis ex vincibili ignorantia peccet, requiritur advertentia rationis, gravissima sæpe scelera excusationem obtinebunt in iis, quos pravi atque inveterati habitus ad peccandum inclinant, quosque inordinati adfectus propè excæcant: hujusmodi enim cum inhonestè agunt, neque ad legem Dei, neque ad objecti malitiam attendunt; quin tamen dici possunt ex ignorantia invincibili operari. *Resp.* In praxi fieri vix unquam posse, ut talis homo nullâ prorsus ratione vel ad legem, vel ad malitiam actionis attendat: tum quia prima & generalia honestatis principia homini congenita sunt; tum quòd conscientia læsa non facile desinat reclamare; sæpe etiam ipsa Societas humana, ejusque vincula & mores talium actionum turpitudinem exprobrant; neque inter gentes moratas quemquam facilè invenias, qui in meridie, & aliorum conspectu similia patrare audeat; proinde homo & in semet ipso habet, & in aliis, atque in  
 ipsis

ipsis adeo rebus inanimatis, unde intelligat debitum & obligationem vel abstinendi, vel saltem inquirendi; quo neglecto quis neget eum cum aliqua rationis advertentia ad legem, aut malitiam actus operari? si tamen supponas, omnem prorsus advertentiam rationis abesse; ad summum talis actus erit peccaminosus in sua radice; quatenus ponens causam jam tum in actionem hujusmodi consentit, quando advertit illam ex ignorantia sua secuturam esse. Cetera placitum TT. certissimum est, peccatum quodvis esse voluntariam & liberam legis transgressionem: repugnat autem actum esse *moraliter* voluntarium & liberum, ubi nulla datur cognitio, ac ne suspicio quidem legis existentis, vel malitiae actionis, uti manifestum est in amentibus, & infantibus, atque etiam in motibus primo primis respectu hominis adulti, & sanæ mentis.

*Inst.* I. Qui ex proposito negligit concionem, ne audiat denunciari jejunia per hebdomadem fortè occurrentia, peccat plenâ refectione in die jejunii sumptâ, quamvis non cogitet de malitia hujus actionis. *Resp.* Qui fieri posse credam, ut tali, cum jam ab initio suspicatus fuerit, ne dies jejunii eâ hebdomade occurrerent, nulla deinceps suspicio occurrat de obligatione jejunandi? proinde ad inquirendam veritatem tenetur, quæ ipsa obligatio cum aliqua rationis advertentia ad legem, vel malitiam comestionis conjuncta est. Immo jam tunc sufficienter advertibat ad inhonestatem actionis, cum ignorantiam voluntariè admisit, eo quod prævidere posset, & deberet, ex hac sua ignorantia actus prohibitos fortassis secuturos esse.

*Inst.*

*Inst.* 2. Certum est, ex ignorantia vincibili peccasse eos, qui Apostolos occiderunt: illi autem ad legem prohibentem, vel actionis malitiam adeo non advertentur, ut etiam putaverint obsequium se præstare Deo. *Resp.* Falsum est, occisores hujusmodi, faltem omnes, nullo modo advertisse ad legem & malitiam actionis: Apostolorum prodigia, vitæ sanctitas, mansuetudo, patientia, aliaque facta præclarissima, quæ in ore omnium conspectuque versabantur, an sceleris atrocitatem prorsus incognitam sinerent? esto, obsequium se præstare Deo arbitrati fuerint; at certè oppositum formidabant.

*Obj.* II Ignorantia vincibilis ex communi notione est, quæ potest, ac debet deponi; sæpe autem deponi absque ulla rationis advertentia ad legem, vel actionis malitiam posset, modò commodi aut incommodi exinde nascituri ratio haberetur, aut homo ad se ipsum suasque actiones magis attenderet. *Resp.* Recepta illa à TT. notio ita intelligi debet, ut ignorantia sit vincibilis, quæ proximè deponi potest; alioquin omnis ignorantia esset vincibilis, quia nulla, aut vix ulla est, quæ remotè deponi nequeat. Commodum verò, aut incommodum, quod ex actione nascitur, necdum facit, ut operatio *moraliter* voluntaria sit, *h. e.* imputabilis ad demeritum, quia sic nondum cognoscitur moralis honestas, aut inhonestas, neque existentia legis. Et nonne id ipsum commodum, vel incommodum actionis cognoscitur, ubi actio ponitur ex ignorantia invincibili? vel igitur illa cognitio non sufficit; vel nulla datur ignorantia invincibilis. Ad ultimum quod attinet: pone hominem continuò ad se suaque reflectentem: is procul dubio lapsus suos præ alio sui incurio faciliùs cognoscet; at

at non sine rationis advertentia ad legem, vel honestatem, aut inhonestatem actionis operabitur. Et nihilominus cum Propheta clamare poterit: *Ab occultis meis munda me. Ps. 18.* vel dicere cum Apostolo: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum;* quia hominis etiam solertissimi memoriam fugiunt plures actus interni, saepe etiam externi, qui cum fiunt, vix percipiuntur, quin tamen omnino non percipiuntur.

α) Non modicum est discrimen inter ignorantiam, & inadvertentiam, inter peccata ignorantia, & peccata inadvertentia. Ignorantia quippe opponitur scientia, inadvertentia autem soli reflexioni. Peccare ex ignorantia, est violare legem ignoratam, sive hac ignoretur absolutè, sive ignoretur obligatio, quam lex nobis imponit in ordine ad certas actiones, & certas circumstantias. Peccare autem per inadvertentiam, est transgredi legem, non ignorando istam, aut obligationem ex ea natam, sed ex defectu actualis ad eam attentionis, aut reflexionis ad circumstantias; in quibus sumus constituti.

β) Sicut datur ignorantia culpabilis, & non culpabilis, ita dantur inadvertentia culpabiles, & non culpabiles; prioris generis sunt, quae nobis sunt involuntari; istae nobis voluntariæ. Causae inadvertentiarum hujusmodi in nobis sunt vel virtutis imaginatricis volubilitas, vel inconstantia animi, vel adfectus malè ordinati, aut prava consuetudo; his enim stantibus tamen nostrarum obligationum habere notitiam possumus, sicque ignorantia absit; saepe tamen nos impediunt, quominus ad officia nostra, & obligationes animum reflectamus; qui ipse reflexionis defectus inadvertentiam constituit. Et quidem si ista causatur à primis & indeliberatis passionis cujusdam nos subito abripiens motibus; tunc neque voluntaria nobis est, neque libera, ideoque nec peccatum. *Nemo enim peccat in eo, quod cavere non potest.* Ita S. AUGUSTINUS L. 3. de lib. arb. Si verò impetus passionis, aut imaginationis nostrae diutius perseveret ob quamdam negligentiam  
volun.

voluntatis nostræ illum reprimere negligentis, ita ut per hoc mens nostra de novo impediatur reflexionem circa malum facere; tunc inadvertentia evadit voluntaria, non quidem in se, sed in sua causa, quæ est ille ipse impetus passionis, aut imaginationis, quem voluntas statim ac advertit, reprimere negligit; magis autem aut minus grave peccatum erit, quo materia majoris aut minoris momenti fuerit, aut major minorve negligentia intercesserit. Siquis deliberatè ac studio in tali occasione mentem suam a lege Dei avertat, ut eam occupet v. g. cogitatione de objecto peccaminoso, ac ne turbetur idea grata, quam habet de illicita voluptate; tunc inadvertentia sic causata & ipsa peccaminosa est, & plures effectus peccaminosos post se trahit. Deordinatio, & adhesio mentis ad objectum prohibitum, ad illam inadvertentiam consequentes justè imputantur, æque ac ipsa inadvertentia. Proinde voluntas in tali casu causans inadvertentiam, inadvertentia ipsa, & quæ hanc consequitur, perversa voluntatis ad objectum vitium adhesio, totidem peccata sunt, vel potius ob unionem, qua omnes hi actus interiores ad invicem connectuntur, & ob dependentiam, qua unus ab altero dependet, moraliter nonnisi unum solum peccatum sunt, plurium actuum malitiam in se continens, quorum singuli divinæ Legi adversantur.

2) Sequitur ex his, inadvertentias nostras tantò magis culpabiles esse, quanto plus libertatis in illis est. Cetera perplexitates, atque incertitudines, in quibus viri etiam docti, & timora i persæpe hac in parte versantur, satis ostendunt, nos in nobis ipsis non habere certam veritatis regulam, quæ ad omnes nostros motus internos se extendit, ut eorum libertatem ac necessitatem exactè discernere valeamus; sicut nec certa & generalis regula in nobis est ad discernendos diversos libertatis gradus, secundum quorum proportionem peccati gravitas in hujusmodi casibus crescit, aut diminuitur. Istud facillè largiuntur omnes, inadvertentiæ semideliberatæ peccata, & in materiis levioribus, ordinaria esse etiam hominum vitæ ceteroquin integritatis amantium & studiosorum. Nimirum hi quoque levem quamdam, & confusam malitiæ ideam ut plurimum habent, quæ ipsum præcessit actum, quo voluntas peccatum admi-

fit. Inter hæc peccata dantur aliqua, quorum non reminiscimur; & alia quorum memoria occurrit, quin tamen recordemur amplius, in illo objecto malitiam quamdam nos apprehendisse; eoquod præterita illa perceptio adeo levis fuerit, ut nullum ejus vestigium in cerebro remanserit, quo illius recordatio rursus excitari posset. Atque hæc sunt illa peccata, quorum veniam petierunt Sancti dicentes: *ab occultis meis munda me Domine.*

1) Vocantur itaque hæc peccata inadvertentiæ, non quod omnem libertatis usum excludant, aut omnem omnino reflexionem supra malitiam objecti; nam repugnat dari peccatum sine libertate, & libertatem sine cognitione; sed quatenus opponuntur illis, quæ cum advertentiâ, & plena reflexione committuntur; tum etiam, quia in instanti, quo ea committimus, actualem malitiæ cognitionem non habemus, sed jam habuimus antea, quæ tamen dissipata est ob motivum quoddam speciosum, cui amor nostri proprius mentem nostram continuè applicuit, sicque nos ipsos seduxit.

2) Catholici omnes principii 1.º co ponunt, nullum dari peccatum actuale, quod effectus non sit libertatis nostræ vel mediatus, vel immediatus; simulque aliam veritatem tamquam certam, & irrefragabilem supponunt, dari videlicet peccata inadvertentiæ, ac subitæ præoccupationis, sive talia, quæ committuntur, quin ea cognoscamus illo ipso instanti, quo committimus. Quæ tamen in his omnibus discernendis reperitur, difficultas homines sæpe impellit ad perniciosissimas sequelas inde deducendas. Ex 2.º enim principio nonnulli inferri debere contendunt, dari peccata actualia, à Deo nobis imputanda, ac punienda, quæ tamen nulla prorsus ratione libera nobis sint. Quod adfirmare, idem est ac tueri: in statu naturæ lapsæ ad merendum vel demerendum sufficere libertatem à coactione, non autem requiri libertatem à necessitate; quæ est formalis *Jansenistarum* hæresis. Certè libertas à necessitate non datur, ubi nulla datur voluntarietas, voluntarium autem sine cognitione non datur, quia nihil volitum nisi præcognitum.

3) Ad peccata *Libertinorum* quod attinet, cujusmodi sunt dissolutiones in materia luxuriæ & ebrietatis, impie-

tates

tates, contemptus, & omissiones piarum functionum inter Christianos usitatarum, uti audiendi Missam in diebus Dominicis & Festis, confitendi in paschate, jejunandi in Quadragesima, abstinendi ab esu carniū in diebus Veneris ac Sabbathi, & similia; hæc qui per in advertentiam fieri diceret, næ is risu omnium explodi mereretur. Quis vel solum imaginari sibi queat, talem hominem committere v. g. adulterium per inadvertentiam, quantumcunque etiam vehemens & roborata in ipso fuerit consuetudo impuritatis; vel eum violare jejunium quadragesimale manducando singulis diebus carnes, quin cogitet, vel apprehendat, quod taliter agendo Deum offendat. Vel solum exemplum, ac reliquorum Christianorum praxis, aliaque sexcenta obiecta, quæ *Libertinorum* oculis obversantur, perpetuò suscitant in eorum mentibus ideam de offendendo Deo. Esto, nonnisi confusam de hoc ideam habeant; at in iis semper occasionibus istam habent, de quibus paullo ante dixi. Aliud est circa peccata cogitationum, aut etiam certorum verborum, in quibus ob vim consuetudinis inadvertentiæ locum habere aliquando posse videtur, quamvis sat multo opus sit tempore, usque dum ad eam perveniatur consuetudinem, quæ id genus peccata absque ulla reflexione committi faciat. Multorum sæpe annorum intercapedine opus est, donec conscientia quasi cicur reddatur adversus illam monstram, quæ primis vicibus, cum eidem sese representarent, magno eam horrore perculerunt. Horror iste non omnino dissipatur, nec post millesimum fortassis peccatum, tunc maximè, ubi christiana educatio in animam certa pietatis semina sparsit, quæ penitus vix unquam suffocantur. Unde conficitur, non adeo magnum esse numerum hujusmodi peccatorum, quæ absque omni advertentia committi soleant. Sed sint talia; adhuc peccata sunt, & imputabilia in sua causa, cum in sua causa prorsus libera fuerint, nec sint nisi sequelæ & effectus peccatorum omnino voluntariorum, & liberrimè iteratorum. Peccator ipse non potuit non animadvertere, fieri in se hac ratione consuetudinem, ideoque potuit ac debuit hanc peccandi necessitatem prævidere, quam hujusmodi consuetudine contraheret. Itaque ex eo tempore, quo consuetudo talis fuit, ut huius peccatori posset esse causa committendi

peccata sine ulla reflexione, ex eo, inquam, tempore peccata moraliter ob vim consuetudinis hoc modo committenda, ipsi evaserunt imputabilia in sua causa. Quousque verò consuetudo crevisse debeat, ut peccata non amplius dici queant libera in se ipsis, sed solum in sua causa; de hoc peccatores consuetudinarii ipsi certius ferre testimonium possunt, res enim sic comparata est, ut sola illis conscientia respondere possit.

### QUAESTIO II.

*Utrum ignorantia invincibilis à culpa excuset?*

61. *Varia sententia.* Ignorantiam invincibilem facti, & Juris positivi, tam divini, quàm humani, tollere voluntarium, & à peccato formali excusare, ipsi etiam Hæretici fatentur; negat autem *Lutherus*, & post illum *Jansenius*, excusari à peccato formali operantem ex ignorantia invincibili Juris naturalis. Et prior quidem (cui etiam consentit *Calvinus* in c. 12. *Luca*) in c. 12. *Gen.* inquit: *Falsa est illa Scholasticorum celebris sententia de ignorantia invincibili excusante; cum antea in c. 1. Gen. dixisset: Scholastici dicunt invincibilem ignorantiam reddere excusabiles: tanta cæcitas est in Papæ scholis, & ecclesiis.* Posterior autem L. 2. de statu nat laps. c. 2. ait: *Hic igitur primò quærì potest: utrum aliqua sit ignorantia invincibilis juxta doctrinam Augustini, quæ tamen non excuset actum, qui inde sequitur, à peccato: generale namque videtur Scholasticorum pronunciatum esse, quòd, quidquid ex invincibili sit ignorantia, hoc ipso culpâ vacet. Quæ sanè doctrina quamvis humanæ rationi, qua nititur, valde plausibilis esse videatur; difficile tamen est cum Augustini do-*

*doctrina eam conciliare, quam contra Pelagianos constanter asseruit. In eadem opinione fuerunt Vendrochius ad calcem 5. ep. Montaltii, Sinnichius in Saule exrege, & generatim omnes Baji Sectatores. Discrimen verò inter legem naturalem & positivam sub nomine Vendrochii istud adsignat Nicolius, quòd sc. ignorantia Juris naturalis sit pœna peccati originalis, adeoque nobis omnibus voluntaria in causa; non item ignorantia Juris positivi, veluti quod Deus non teneatur ulli manifestare. Nempe contendebant Baji, & Fansenii asseclæ, ad peccatum formale sufficere in natura lapsa libertatem à coactione cum sola libertate indifferentiæ in causa sua; ideoque statuebant hanc propositionem: Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato mortali. Item hanc aliam: In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis. Quæ utraque damnata est ab ALEXANDRO VIII. ann. 1690. Quin Fansenius eo temeritatis provectus est, ut c. 2. L. 2. cit. hunc præfigeret titulum: Ignorantia, etiam quæ necessitatis est, non voluntatis, hoc est, invincibilis, non caret peccato, ut dogma Fidei ab antiquis traditum.*

*Omnis ignorantia invincibilis, etiam Juris naturalis, excusat à peccato formali operantem ex ea. Ignorantia* 62.  
 Nam 1<sup>o</sup>. quod homini voluntarium non est, nequit eidem imputari ad culpam: quod autem fit ex ignorantia invincibili est simpliciter involuntarium, quia non est cognitum, utpote invincibiliter ignoratum; sat.

quodque non est voluntarium, etiam liberum non est, quia omne liberum est voluntarium; ergo. Unde S. AUGUSTINUS L. de vera Relig. c. 14. *Usque adeo, inquit, peccatum voluntarium est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium; & hoc ita manifestum est, ut nulla Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* 2<sup>o</sup>. Ignorantia invincibilis, fatentibus adversariis, Juris positivi excusat à peccato formali operantem ex ea; cur similiter non excuset invincibilis ignorantia Juris naturalis? certè ad peccatum non sufficit, quod ignorantia legis sit pœna peccati originalis, & in illo quadam ratione voluntaria, quia ad peccatum personale requiritur voluntarium personæ, nec sufficit voluntarium naturæ, ut liquet ex cit. propos. damn. ab ALEXANDRO Papa. 3<sup>o</sup>. Juxta Apostolum ad Rom. 1. Gentiles erant inexcusabiles, quia *cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt;* igitur ex opposito fuissent excusati à culpa, si forte Deum invincibiliter ignorassent. 4<sup>o</sup>. *Mandata Dei gravia non sunt.* 1 Joann. 5. igitur impossibilia non sunt Dei præcepta; sed si invincibilis ignorantia legis naturalis à peccato formali non excusat, exigitur à nobis, quod impossibile est, omnesque nostras vires ad superandam hanc ignorationem superat; ergo. 5<sup>o</sup>. Communis hic est totius Ecclesiæ sensus, & una Ss. Patrum sententia. Inter cæteros S. AUGUSTINUS, in quo adversarii triumphant, L. 3. de lib. arb. c. 19. ait: *Non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras; sed quod negligis quærere, quod ignoras.* In quæ verba S. THOMAS q. 3. de malo a. 7. ad 7. sic ait: *Dicendum, quòd ignorantia, quæ est omnino involuntaria,*

taria, non est peccatum: & hoc est, quod Augustinus dicit: Non tibi imputatur ad culpam, si invitus ignores; per hoc autem quod addit: Sed si scire neglexeris; dat intelligere, quod ignorantia habet, quod sit peccatum ex negligentia precedente. Unde loc cit. ita prosequitur S. AUGUSTINUS: Nam quod ignorans quisque non recte facit, & quod recte volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libera voluntatis originem ducunt; illud enim precedens meruit ista sequentia. Nam sicut linguam dicimus non solum membrum, quod movemus in ore, dum loquimur; sed etiam illud, quod hujus membri motum consequitur, id est, formam tenoremque verborum, secundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina; sic non solum peccatum illud dicimus, quod proprie vocatur peccatum (liberâ enim voluntate, & ab sciente committitur) sed etiam illud, quod jam de hujus supplicio consequatur necesse est. Ubi S. D. disertè adfirmat, ignorantiam istam non esse nisi peccatum improprie dictum. Et c. 18. L. cit. Quæcunque ista, inquit, causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; si autem potest, non ei cedatur, & non peccabitur. An fortè fallit incautum? ergo caveat, ne fallatur. An tanta fallacia est, ut caveri omnino non possit? si ita est, nulla peccata sunt; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? 6<sup>o</sup>. Damnatae sunt hæ propositiones Baji 46. Ad rationem & definitionem peccati non pertinet voluntarium. Et 68. Infidelitas negativa in iis, quibus Christus non est prædicatus, peccatum est. 7<sup>o</sup> S. BONAVENTURA in 2. dist. 22. a. 2. q. 3. ait: ignorantia si

nullo modo sit voluntaria, nec ullum includat contemptum, excusat à toto. Et infra: Si ignorantia sit talis naturæ, ut nec voluntarietatem, nec contemptum involvat, excusat totaliter à peccato. Iterum S. THOMAS I. 2. q. 76. a. 2. Manifestum est, inquit, quòd quicumque negligit habere vel facere id, quòd tenetur habere vel facere, peccat peccato omissionis. Unde propter negligentiam ignorantia eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum; non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest. Unde horum ignorantia invincibilis dicitur; quia studio superari non potest: & propter hoc talis ignorantia, cum non sit voluntaria, eoquod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum. Ex quo patet, quod nulla ignorantia invincibilis est peccatum. PETRUS LOMBARDUS L. 2. Sent. dist. 22. c. 4. sic habet: Porro triplex datur ignorantia: prima est eorum, qui scire nolunt, cum possint; & hæc ignorantia non excusat, quia & ipsa peccatum est. Secunda est eorum, qui volunt, & non possunt; hæc ignorantia excusat; est enim pœna tantum peccati, non peccatum. Tertia est eorum, qui quasi simpliciter nesciunt, nec venientes, nec proponentes scire; & hæc ignorantia neminem plenè excusat, sed solum sic fortasse, ut minùs puniatur.

*Respondetur ad objecta.*

Obj. I. Gen. 20. narratur, quòd Deus mortem minatus sit Regi Abimelech, quòd tulisset Saram, quam invincibiliter ignorabat esse uxorem Abraham. 1. Reg. 4. Jonathas morti addicitur, eoquod gustasset pa-

lu-

lulum mellis contra præceptum Regis patris, licet invincibiliter ignoratum. *I. Reg. c. 15.* Saul à Deo rejectus est, quia servaverat Regem Amalec, ovesque & boves, quas Deo sacrificaret. *Lev. 4.* præcipiuntur sacrificia pro peccatis ignorantia. *Luc. 12. v. 48.* Servus, qui non cognovit voluntatem Domini sui, & fecit digna plagis, vapulabit paucis. *Matth. 15.* Christus reprehendit Judæos, quòd mandatum Dei irritum facerent, qui tamen eo fine negligebant curam parentum, ut divino cultui unicè vacarent. Ita *Fanseniani. Resp. Ad 1mum Abimelech* Rex laborabat ignorantia facti, & quidem vincibili, quia non satis inquisiverat, num *Sara* uxor Abrahæ esset; vel etiam puniri meruit, quia tulerat invitam. *Ad 2dum.* Injusta fuit mortis sententia in *Jonathan* lata. *Ad 3tium.* Saul à Deo reprobatus est non propter peccatum ignorantia, sed inobedientia, præceperat enim Dominus: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire universa ejus: non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid: sed interfice à viro usque ad mulierem, & parvulum atque lactentem, bovem & ovem, camelum & asinum.* *Ad 4tum.* Sacrificia erant præcepta propter ignorantias ceremoniarum, quæ in præcedentibus à Deo fuerant constitutæ; illæ autem Juris positivi erant, ideoque ex ipsorum *Fansenistarum* placito ignorantia debuit esse vincibilis. *Ad 5tum.* Servus ille fecit digna plagis; igitur aliquo saltem modo cognovit voluntatem Domini. *Ad 6tum.* Sat crassa fuit illa *Pharisaorum* ignoratio, nam ex Jure tam naturali, quàm positivo sciebant eleemosynis succurrendum esse parentibus egenis.

Obj. II. In Synodo *Diospolitana* damnata est hæc *Cælestii* propositio: *Oblivio & ignorantia non subjacent peccato, quoniam non secundum voluntatem eveniunt, sed secundum necessitatem; igitur ex opposito subjacet peccato ignorantia, quæ non voluntatis est, sed necessitatis, proin etiam ignorantia non voluntaria, & invincibilis. Resp.* Ista propositio à Patribus *Diospolitans* meritò damnata fuit, 1<sup>o</sup>. quia universaliter, & absque limitatione prolata fuerat à *Cælestio*, ita ut quamlibet ignorantiam, etiam vincibilem, a peccato eximere censeretur. 2<sup>o</sup>. Esto: *Cælestiani* de sola ignorantia *Juris naturalis* invincibili intelligi voluerint; adhuc ista propositio jure proscripita fuit propter sensum hæreticum, quo eandem explicabant. Contendebant nempe *Pelagiani*, hominem propriis naturæ viribus opus quodcunque bonum perficere posse, neque gratiam supernaturalem necessariam esse; ideoque illam duntaxat ignorantiam ajebant esse vincibilem, quæ solis naturæ viribus superari posset, eamque solam culpæ obnoxiam esse; invincibilem econtra & inculpabilem esse omnem ignorantiam, ad quam depellendam gratia supernaturalis foret necessaria. Idque satis constat ex testimonio S. AUGUSTINI L. de nat. & grat. dicentis de *Pelagio* c. 17. *Traçtat iste de peccatis ignorantia, & dicit hominem pervigilare debere, ne ignoret; ideoque esse culpandam ignorantiam, quia id homo nescit negligentia, quod adhibitâ suâ diligentia scire debuisset. Dum tamen omnia potiùs disputet, quàm ut oret, & dicat: Da mihi intellectum, ut discam mandata tua . . . Vade, admonemur à Deo petere sapientiam, qui dat omnibus*

bus affluenter, utique his omnibus, qui sic petunt, & tantum petunt, quomodo & quantum res tanta petenda sit. Præterea cum *Cælestiani* negarent peccatum originale, omnemque adeò natam inde concupiscentiam, cæterasque illius peccati originalis reliquias, veluti mentis cæcitatem, & voluntatis in malum propensionem; ajebant hominem, & quidem facilè, perficere, quæcunque vellet, posse, atque ideo ignorantiam etiam illam dicebant invincibilem, quæ citra difficultatem superari non posset; idque ex Dialogis S. *HIERONYMI* colligitur. Atque hæc erat ignorantia necessitatis, quam peccato subjacere negabant *Pelagiani*; quod adsertum meritò damnavit Synodus *Diospolitana*; falsum enim est dicere, ignorantiam per naturæ vires non facilè superabilem esse immunem à peccato, etiamsi non nisi difficulter, & per gratiam vinci possit.

*Inst. I. S. AUGUSTINUS L. de grat. & lib. arb. c. 3. ait: Illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tamquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat. Et ep. 194. quæ est ad Sixtum, sic scribit: Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator, vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat, sive qui judicat, sive qui non judicat: quia & ipsa ignorantia in eis, qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est; in eis autem, qui non potuerunt, pœna peccati; ergo in utrisque non est justa excusatio, sed justa damnatio. Idem S. Doctor L. de nat. & grat. c. 17. exprobrat Pelagio, quod dixerit, ideo culpandam esse ignorantiam, quia id homo nescit negli-*

gentiâ suâ, quod adhibitâ diligentîâ scire debuisset, igitur ex mente S. Patris ignorantia invincibilis non excusat. *Resp.* Ad 1<sup>um</sup>. S. Doctorem hic loqui de ignorantia Juris positivi, patet ex contextu; addit enim: *Si propterea non credidit, quia non audivit omnino, quod crederet; sed fortassis ut mitius ardeat; non enim sine causa dictum est: Effunde iram tuam in Gentes, quæ te non noverunt.* Invincibilis autem ignorantia Juris positivi juxta ipsos *Jansenistas* à culpa excusat. Dico autem, S. Patrem loqui de ignorantia vincibili indirecte volita, dum quis suâ culpâ fecit, ut non audiret, quod crederet. Idque colligere datur ex verbis: *qui tamquam simpliciter nesciunt, h. e. qui neque positivè volunt ignorare, neque tamen sufficientem adhibent diligentiam, ut audiant prædicationem evangelicam; aut etiam obstacula ponunt, quominus audiant, quod credant.* Quod si verba laudata de ignorantia etiam invincibili Juris positivi intelligere velis, sensus erit, quòd talis ignorantia non ita excuset peccantem, ut non puniatur in inferno, non propter hanc ignorantiam, nec propter id, quod ex ea consequitur, sed propter alia peccata contra legem naturæ commissa, à quibus alioquin fuisset liberandus, si Evangelium fuisset ipsi prædicatum. Unde *Tract.* 89. in *Joann.* ait, eos, quibus Christus non est annunciatus, *habere excusationem non de omni peccato, sed de hoc peccato, quo in Christum non crediderunt.* Ad 2<sup>dum</sup>. Similiter loquitur S. D. de iis, qui Legem evangelicam ignorant: & quidem eos, qui intelligere illam non potuerunt, dicit jussè damnandos, non propter invincibilem hanc ignorantiam, sed propter

propter reatum originis, à quo non liberantur. Ad 3<sup>tium</sup>. S. P. exprobrat Pelagio, quòd diceret culpandam non esse ignorantiam, quæ per solam gratiam supernaturalem vinci posset; patet ex contextu supra laudato.

*Inst. 2. Idem S. D. L. 1. de peccat. merit. c. ult.* ait: *Fit, ut per ignorantiam vel infirmitatem non exsertis adversus eam (concupiscentiam) totis viribus voluntatis, eidem ad illicita etiam nonnulla cedamus.* Et ep. 105. *Siquis, inquit, bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit hoc putando, utique peccat, & ea sunt omnia peccata ignorantia, quando quis bene fieri putat, quod malè fit.* Et ep. 194. *Humana superbia tamquam præsumens de viribus liberi arbitrii, excusatam se putat, quòd ignorantia, non voluntatis est, quòd peccet.* Ergo. Resp. Ad Imum. Cùm Pelagiani negarent, ignorantiam & concupiscentiam esse pœnas peccati originalis, ut testatur S. AUGUSTINUS L. de dono p̄sev. c. 11. *Dicunt Pelagiani ignorantiam & difficultatem, sine quibus nullus homo nascitur, primordia, non supplicia esse naturæ; & L. 6. contr. Julian. c. 16. Nos autem, qui eam concupiscentiam malam dicimus, & manere tamen in baptizatis, quamvis ejus reatus fuerit remissus, atque vacuatus; adversus eos contendebat S. Pater, utramque peccati originalis stipendium esse, & ab illis, quamvis in se peccata propriè talia non sint, nos inclinari ad peccatum, & re ipsa nos peccare, nisi totis viribus resistamus.* Ad 2<sup>dum</sup>. S. P. hìc loquitur de ignorantia facti, qua quis dubitat, an aliqua caro sit immolatitia, nec ne; ut patet ex his immediatè præcedentibus: *Siquis*

quis dubitat de aliqua carne, utrum immolatitia sit; & non est immolatitia; si eam cognitionem tenuerit, quod immolatitia non sit, & eam vescatur, non utique peccat; si quis autem bonum putaverit esse, &c. Ex quibus præterea colligitur, sermonem ibi esse de dubio pratico, & ignorantia vincibili operantis. Ad 3<sup>tium</sup>. Loquitur ibi S. P. de peccato incredulitatis adversus Pelagianos dicentes, ad credendum non requiri gratiam internam, sed sufficere externam revelationem & prædicationem, ideoque ab omni peccato eos excusabant, qui non credebant, quia non audierant. S. AUGUSTINUS verò non eos solos dicebat inexcusabiles, qui audito Evangelio noluerunt credere, sed etiam eos, qui non crediderunt, quia non audierunt, vel quia culpâ suâ fecerunt ipsi, ne audirent; vel si credere simpliciter non potuerunt, quia peccato originali infecti sunt, quo verè constituuntur peccatores; ideoque subjungit: *Ac per hoc inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, &c. ut supra.*

*Inst. 3. Ss. AUGUSTINUS, & HIERONYMUS in suis disputationibus cum Pelagianis sæpe adserunt, ignorantiam illorum, qui intelligere non potuerunt, sive quæ erat necessitatis, & non voluntatis, esse peccatum, & pœnam peccati. Ergo. Resp. Dicunt esse peccatum non propriè, sed impropriè duntaxat, & metonymicè, in quantum est effectus peccati originalis, & rursùm ad peccatum personale nos inclinât. Ita explicat ipse S. AUGUSTINUS L. 3. de lib. arb. c. 19. Illud, quod ignorans quisque non rectè facit, & quod rectè volens facere non potest, ideo dicuntur peccata, quia de peccato illo libera voluntatis (Adæ) originem ducunt:*

cunt: illud enim præcedens meruit ista sequentia.  
 Nam sicut linguam dicimus, &c. ut supra.

Obj. III. Ignorantia invincibilis Juris naturæ si excuset à culpa, foret illa optanda, essetque melior conditio eorum, qui ignorant legem, quàm qui cognoscunt, hi enim peccarent formaliter agendo contra legem, isti duntaxat materialiter; item à peccato excusarentur Ethnici colendo idola, & Hæretici de suis erroribus non dubitantes; quæ omnia videntur absurda. Resp. Ad 1<sup>um</sup>. Quis non vehementer cupiat intelligere certam suarum actionum normam, ut ad præstitutum sibi finem ultimum perveniat? nonne melior optabiliorque sit conditio hominis Legem Evangelicam scientis conditio? atque eorum, qui in tenebris, & in umbra mortis sedent? Ad 2<sup>dum</sup>. Falsò supponit *Vendrochius*, cujus hoc est argumentum, dari posse ignorantiam invincibilem Dei existentis. Ad Hæreticos quod attinet: cur isti, rudes præsertim & plebeji ignorantia invincibili juris positivi laborare nequeant?

Obj. IV. S. BONAVENTURA in *Speculo animæ* c. 3. ait: Circa ignorantiam Juris naturalis nota, quòd nullus excusatur. Quod ipsum repetit *Centiloquii* p. 1. Ignorantia Juris naturalis non excusat. Hinc etiam regula Juris 13. in 6. habet: Ignorantia facti, non Juris, excusat. Ergo. Resp. Ad 1<sup>um</sup>. S. D. loquitur de primis Juris naturæ principiis, quæ nemo sanæ mentis ignorare potest, ait enim in priore loco: Hoc autem Jus naturale appellatur illud, ad cujus cognitionem potest homo per naturalia attingere; constat enim, quòd qui tale quid ignorat, hoc ei ex negligentia contingat. Et in 2<sup>do</sup> loco: Ignorantia Juris natura-

*turalis non excusat, cum sit scriptum in corde hominis. Ad 2dum. Regula hæc juxta morem Jctorum tenet maximè pro foro externo, fundaturque in præsumptione, quòd quisque non ignoret ea, quæ clari Juris sunt. Si verò ad scientiam Juris naturalis restringas, & ipsa obtinet in iis, quæ ad prima principia spectant.*

## Q U A E S T I O III.

*An dari possit invincibilis ignorantia Juris præsertim naturalis?*

63. *Jansenius L. 2. de statu nat. laps. c. 2. 3. & seqq.*  
 Varia *J*ideo negat ignorantiam Juris naturalis excusare  
 fen- à peccato, eo quod ista ignorantia, utut respectu nostri  
 ten- invincibilis atque involuntaria sit, nihilominus pœna  
 tia. sit peccati originalis. Ex antiquis autem TT. ortho-  
 doxis tametsi omnes concedant, quamlibet ignoran-  
 tiam invincibilem, hoc ipso quòd invincibilis, &  
 involuntaria sit respectu agentis contra legem, ex-  
 cusare à peccato, nihilque eorum, quæ ex tali  
 ignorantia fiunt, nobis imputari à Deo ad culpam;  
 huic tamen propositioni: *Ignorantia invincibilis  
 Juris naturalis excusat à peccato*, videntur aliqui  
 contradicere, ideo videlicet, quia supponunt hanc  
 ignorantiam numquam perfectè invincibilem esse,  
 sed aliquo semper modo ex nostra voluntate depen-  
 dere. Ajunt nempe: *Faciendi, quod est in se,  
 Deus non denegat gratiam.* Homo itaque in hac,  
 vel illa occasione obligationem suam quòd ignoret, ip-  
 se in causa est: culpâ enim hominis accidit, quod  
 necessario ad cognoscendam obligationem lumine sit  
 destitutus, quod Deus ipsi negavit in pœnam volunta-  
 riæ ejusdam socordiæ, quam adversus Deum in alia  
 quadam occasione commisit. *GUILLIELMUS Parisiensis  
 Tract.*

*Tract.* de LL. principium hoc: *Faciendi*, &c. non modò ad ignorantiam legis naturalis, sed ad ignorantiam quoque legis positivæ, immo & *Facti* extendit; & quamvis fateatur, hominem in tali casu tam grave peccatum non admittere, ac fieret, si perfectam rei notitiam haberet, attamen contendit eum re ipsa offensæ contra Deum admittæ reum esse. Fatetur itaque *Jansenius*, dari in nobis ignorantiam invincibilem Juris naturalis quoad certa capita; negat verò eandem nos excusare à culpa, eoquod pœna sit peccati Adamitici. Juxta antiquos autem nonnullos Ignorantia hæc idcirco non excusat à peccato, eoquod respectu nostrî non sit invincibilis, utpote effectus peccati cujusdam actualis, & posita per propriam nostram voluntatem. Systema hoc quamvis defendi possit absque errore in Fide, nam nulla datur Fidei regula, cui istud contrarium evinci possit, atque etiam à Doctoribus Catholicis propugnatum, nec etiam autoritate ecclesiastica reprobatum fuit; sufficiente tamen ratione destituitur, ut patebit ex dicendis.

Jus naturale est ordinatio divinæ voluntatis necessaria circa actiones; vel omissiones creaturæ rationalis per rectam rationem promulgata. Dupli-  
 cia sunt Juris naturalis principia, alia *prima & immediata*, quorum veritatem ratio humana nobis facilè manifestat; cujusmodi sunt: *Deum esse colendum, parentes esse honorandos, ne facias proximo, quod tibi non vis ab altero fieri.* Alia *mediata*, quæ per modum cujusdam necessariæ consecutionis ex illis deducuntur, & quidem eo majore, vel minore operâ, quo propius, aut remotius cum primis & generalibus principiis connexa sunt.

Huc

64.  
Jus  
natu-  
ra.

Huc pertinent obligationes particulares, quas in quolibet statu, conditione, munere, ac generatim in quibusvis vitæ nostræ circumstantiis nostra nobis ratio proponit; quarum præcipuas, & maximè essentielles penetrare discimus, statim ac ratione sic utimur, ut eam consulere, atque in intimis conscientiæ nostræ penetralibus loquentem excipere valeamus. Nonnullæ etiam conclusiones particulares ut ritè deduci queant, opus est gratiæ, & Fidei lumine; sic obligationem illam indispensabilem, qua teneamur nomen dare Orthodoxæ Religioni, vitamque nostram ad Legis Evangelicæ præscriptum insituere; nemo satis unquam penetrabit, nisi interiore Spiritûs S. gratiâ præventus fuerit, & confirmatus.

65. Præter istas ordinationes, quas tamquam à Deo  
 Jus stabilitas ipsa recta ratio nobis proponit; dantur ad-  
 positi- huc aliæ pariter à Deo nobis constitutæ, quæ circa  
 vum. vitæ nostræ directionem ad magis particularia descendunt, atque ad certas circumstantias, ad certos modos obligationes illas determinant; quas tamen ratio modo quodam generali tam erga Deum, quàm erga proximum & semet ipsum proponat; in specie tamen & singillatim hæ non nisi per externam revelationem nobis innotescunt. Quæ omnes vocantur *Jus positivum*. Leges hujusmodi positivæ respectu Judæorum erant præcepta ceremonialia, quæ modos ac ritus peculiare præscribebant, quibus Deus ab hoc coli populo volebat. Talia respectu Christianorum sunt præcepta Evangelii, Ecclesiæ & Superiorum Ecclesiasticorum, &c. Hujusmodi leges qui ignorat, dicitur laborare *ignorantiâ Juris positivi*. Datur præterea *ignorantia facti*, ut  
 siquis

si quis sclopetum exonerans, loco feræ, quam se tra-  
 jicere bona fide putabat, hominem occidit. Igno-  
 rantia tam *Juris*, quàm *facti* nasci potest vel ex  
 nostra negligentia, vel ex impotentia, in qua su-  
 mus, & hæcenus fuimus, discendi ea, quæ igno-  
 ramus. Si ignorantia effectus negligentia nostræ  
 sit, ita ut penes nos solos steterit eam vincere, aut  
 non vincere; dicitur, & est *vincibilis*. Si autem  
 nostrarum virium non fuit eam superare, *invincibi-*  
*lis* nuncupatur. Istud tamen observari hoc loco  
 debet: ut aliqua ignorantia censeatur vincibilis,  
 ita ut imputetur ad culpam; non sufficit, quòd  
 eam quis *physicè* queat vincere, sed necessum est,  
 ut habeat potentiam *moralem*, *h. e.* ut habeat in  
 sua potestate media ad illam vincendam idonea, ea-  
 que cognoscat ordinata esse ad ignorantiam illam  
 depellendam; alioquin ista non erit moraliter vo-  
 luntaria.

*Systema quorundam ex TT. VV. negantium* 66.  
*nullam dari ignorantiam invincibilem Juris na-* Syste-  
*turalis sustineri non debet.* Nam 1<sup>o</sup> solido desti- ma  
 tuitur fundamento etenim fundamentum hujus syste- TT.  
 matis est illud dictum: *Faciendi quod est in se,* quo-  
*Deus non denegat gratiam;* hoc autem diversos rum-  
 recipere sensus potest; potest enim intelligi in sen- dam  
 su hæretico, quem ei adfixerunt *Semipelagiani* VV.  
 dicentes, hominem facientem, quantum ex pro-  
 priis naturæ viribus potest, mereri gratiam voca-  
 tionis ad Fidem. TT. Orthodoxi disputant, quis  
 hujus principii sensus genuinus sit. Eiusdem verò  
 principii applicatio ad peccatum ignorantia profus  
 arbitraria est: nam supposito, actionem ex igno-  
 rantia contra legem positam nobis imputari, vel

quia pro obtinendo lumine Deum non oravimus, vel quia aliam commisimus in divinis socordiam, ob quam lumine isto privari merebamur; cur dicatur hanc pœnam nobis potius obvenire, ubi per ignorantiam contra Jus naturale delinquimus, quàm cum contra Jus positivum agimus? est sane Jus hoc posterius æque morum nostrorum regula, ac illud prius. 2<sup>o</sup>. Immo & falsum est hoc systema: constat enim, quòd ipsi Ss. Patres, veluti AUGUSTINUS & HIERONYMUS, item S. BONAVENTURA, & S. THOMAS sententias oppositas circa materiam Juris naturalis foverint; quis vero dicat, viros hos sanctitate eximios, Deoque acceptissimos hisce luminum subtractionibus admodum pœnalibus à Deo punitos fuisse? quid fiet cum plurima parte hominum illiteratorum, qui Theologos, Confessarios, aut Pastores suos circa casus quotidianos consulere coguntur? omnes isti, quantumcunque bonam intentionem habuerint, peccabunt, nisi Deus speciali providentia eos deduxerit ad consiliarios ejusmodi, qui actuali inspiratione divinâ ad eos bene instruendos idonei sunt constituti. Quis confessarii, Judicis & Pastoris partes sustinere vellet deinceps, aut posset citra periculum propriæ salutis amittendæ? aut certè in quantas perplexitates & perturbationes conjicerentur animi eorum, qui scientiis sanioribus ceteroquin probè imbuti arduis id genus muneribus humeros supponerent?

67. *Dari potest ignorantia invincibilis non solum Dari Juris divini positivi tam apud Fideles, quàm in- potest fideles; sed etiam Juris naturalis, saltem quoad igno. præcepta remotiora. Et quidem infideles inculpa- rentia bili-*

biliter ignorare Legem Evangelicam posse, liquet in-  
 tum ex *proposit*, 68. *Baji damnata: Infidelitas* vinc.  
*negativa, in quibus Christus non est predicatus,* Jur.  
*peccatum est; tum ex Apostolo ad Rom. 10. Quo-* posit.  
*modo credent ei, quem non audierunt? quomodo* & na-  
*autem audient sine predicante? & Christus ipse de* tur.  
*Judæis Joann. 15. ait: Si non venissem, &*  
*locutus fuisset eis, peccatum non haberent.*  
*Nunc autem excusationem non habent de pec-*  
*cato suo . . . Si opera non fecissem in eis,*  
*quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent,*  
*sc. infidelitatis. Igitur illi, qui nihil de Chri-*  
*sto, ejusque operibus audierunt, nullum pec-*  
*catum habent infidelitatis, ut loquitur S. AU-*  
*GUSTINUS Tract. 89. in Joann. Respondeo,*  
*habere illos excusationem non de omni peccato suo,*  
*sed de hoc peccato, quo in Christum non credide-*  
*runt, ad quos non venit, & quibus non est locu-*  
*tus. Id quod multò magis tenet de Infidelibus Eth-*  
*nicis, qui neque legem scriptam habent, neque*  
*Prophetas. Sed & Fidelis cur quædam Legis Evan-*  
*gelicæ præcepta aliquando invincibiliter ignorare*  
*nequeat? certè quod facit defectus promulgationis*  
*totius legis respectu Infidelium; idipsum efficit de-*  
*fectus promulgationis hujus vel istius præcepti re-*  
*spectu personæ particularis. De Ignorantia Juris*  
*naturalis cum quadam restrictione loqui oportet:*  
*nam illud AA. facile largiuntur, præcepta prima*  
*& univ<sup>er</sup>s<sup>al</sup>issima invincibiliter ignorari non pos-*  
*se, cùm per se nota sint, & cuius sanæ mentis sta-*  
*tim appareant; id ipsum etiam dicendum videtur*  
*de conclusionibus ex iis proximè deductis, quia &*  
*istæ per facilem & quibusvis, etiam rudioribus,*

obvium discursum eruuntur. Certè qui novit nemini faciendam esse injuriam, hoc etiam intelligit, partem alteram contrahentem non esse lædendam. Unde Apostolus ad Rom. 2. inquit: *Cùm enim Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi lex sunt; qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut defendentibus in die, cùm judicabit Deus occulta hominum.* Ignorari tamen invincibiliter posse remotiora Juris naturalis præcepta, quæ ex primis principiis operosius deducuntur; pauci sunt, qui negent. *Quædam sunt (inquit S. THOMAS I. 2. q. 100. a. 1. in ☉.) quæ statim per se ratio naturalis cujuslibet hominis judicat esse facienda, vel non facienda, sicut, honora patrem tuum; & non occides, non furtum facies; & hujusmodi sunt absolutè de lege naturæ. Quædam verò sunt, quæ subtiliori consideratione rationis à sapientioribus judicantur esse observanda; & ista sic sunt de lege naturæ, ut tamen indigeant disciplina, qua minores à sapientioribus instruantur.* Et quis à rudibus expectet, ut ea confectaria longiore, & operosiore discursu ex primis Juris naturæ principiis deducant, in quibus ipsi eruditissimi dissident? rectè itaque B. ALBERTUS Magnus (& cum eo TT. ferè omnes) in 2. dist. 12. a. 10. inquit: *Ignorantia Juris est duplex, quia quoddam Jus est universale, quod omnibus imponitur ad sciendum; & quoddam est particulare, quod non scitur nisi per studium. Et puto, quod prima est crassa & supina, non excusans. Secunda*

*causa autem excusat vel à tanto, vel à toto, si est casus multum difficilis.*

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* Deus vult omnem suam legem impleri ab homine, alioquin frustra dedisset. *Resp.* Deus vult omnem suam legem impleri à sciente, non verò ab invincibiliter ignorante. Neque ideo inutilis est divina lex positiva, quia non defunt, qui sciant, & impleant; atque ii etiam, qui à statu ignorantiae ad scientiae lumen transferuntur, eidem se subjiciunt, nisi sponte & temere resistant.

*Inst.* Quivis adultus sanæ mentis, etiam infidelis, potest salutem suam consequi; proinde etiam depellere valet eorum saltem ignorantiam, quæ scitu necessaria sunt ad salutem. *Resp. D. C.* Ergo potest physicè depellere talem ignorantiam, in quantum potest uberioribus à Deo gratiis præveniri, & adjuvari, ac etiam re ipsa talibus auxiliis instruere, si cum gratiæ adiutorio faceret, quod in se est. *C.* Potest semper depellere moraliter, ita, ut ipsi imputetur ad culpam, si non depellat. *N. C.* Esto autem, quòd infidelis homo gratiâ primâ sibi oblata non utatur; non sequitur continuo ignorantiam, quæ ad subtractionem ulterioris gratiæ sequitur, moraliter voluntariam, & imputabilem ad culpam esse, quia illa duntaxat ignorantia, quæ sequitur ex culpa, culpabilis est, quæ in culpa fuit prævisa, aut potuit humano modo prævideri. Infideles autem neque percipiunt, neque apprehendere moraliter possunt, oblatae sibi gratiæ usum esse me-

dium à Deo ordinatum, & idoneum ad depellendam Fidei ignorantiam; de qua ne cogitant quidem, aut nunquam cogitarunt.

*Obj. II.* Fidelis adultus orationis & bonorum operum subsidio à Deo impetrare potest notitiam totius legis divinæ; igitur nonnisi vincibiliter ignorat. *Resp. N. A.* Quomodo Fidelis adultus oratione suâ flagitet illud, de quo nec cogitavit unquam, nec aliquid audivit. Sed petat: ubinam promissum aut revelatum est, hanc plenam notitiam à Deo concedendam esse? petierunt procul dubio Ss. THOMAS & BONAVENTURA, ut de tempore, quo poenitentia de admissio scelere agenda foret, statuere certi quid possent; & tamen alteruter ignoravit, cum ille voluit teneri hominem sine mora poenitentiam agere; oppositum iste. Quod vero ait S. AUGUSTINUS L. 1. *retracl.* c. 10. Quòd omnes homines possint præcepta implere, si velint: quia lumen divinum illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; intellige, quòd homini non desit gratia necessaria ad implenda illa præcepta, ad quæ proximè obligatur, quia Deus impossibilia non jubet; ad ea verò præcepta, quæ quis invincibiliter ignorat, obligatio proxima non datur; nam ista libertatem proximam essentialiter aut includit, aut præsupponit; proxima autem libertas cum ignorantia invincibili locum habere nequit.

*Obj. III.* Facienti, quod est in se, Deus non deerit; si itaque homo operam humanam impendat, pravos adfectus & habitus ex animo eliminat, assidue oret, iisque, quibus imbutus jam est, principiis rectè utatur; non foret Deus, ut ex ignorantia labatur; aut si labitur, vincibilis est hæc ignorantia.

rantia. Ita *Steyartius* alique Lovanienses. *Resp.*  
 Quod attinet ad prima & universalissima Juris natu-  
 ralis principia; fatemur hæc à nemine adulto &  
 rationis usum habente diu invincibiliter ignorari  
 posse, quia per se evidentia sunt & aperta, nec ullis  
 obnoxia dubitationibus, nullisque circumstantiis  
 obscurioribus involuta. Id ipsum, saltem genera-  
 tim dici potest de consecrariis, quæ proximam cum  
 illis connexionem habent. Ad remotiores autem  
 conclusiones non nisi longo & difficili ratiocinio ex  
 iis deductas quod attinet; in his errare possunt,  
 immo errarunt viri cæteroquin doctissimi, & sancti-  
 tatis famâ celeberrimi, ut adeo cum ratione suffi-  
 ciente dicatur, ad ordinariam Dei providentiam  
 non pertinere, semper & in omni eventu, cuicum-  
 que homini etiam facienti, quod in se est, communi-  
 care per semet ipsum notitiam eorum, quæ in pri-  
 mis principiis remotius continentur. Erravit cer-  
 tè S. *HIERONYMUS* ep. 11. apud *Augustin.* cum do-  
 cuit simulationem esse licitam; S. *AUGUSTINUS* L.  
 I. de Serm. Dom. in monte c. 16 postquam retulit  
 factum mulieris Antiochenæ, quæ mariti jussu co-  
 piam sui corporis fecerat alteri, ut ab eo auri libram  
 acciperet, quo maritum à captivitate & injusto  
 mortis supplicio eriperet, non audet definire, con-  
 juges illos peccasse inquit: *Nihil hîc in alteru-  
 tram partem disputo, licet cuique æstimare, quod  
 voluit; cum antea de merito loquens dixisset: Nul-  
 lo modo judicans actum illum esse adulterinum,  
 quod & libido nulla, & magnâ mariti charitate,  
 immo se jubente & volente flagitaret.* S. *THO-  
 MAS* contendit Judicem teneri ad condemnandum  
 innocentem juridicè probatum nocentem; opposi-  
 tum

tum docet S. BONAVENTURA. Hos autem viros præstantissimos quis neget debita adhibuisse media, quibus veri notitiam consequerentur? Neque ideo Deus providentiæ suæ legibus defuit, tum quia lumen hujusmodi, quo quis remotiora etiam & obscuriora Juris naturalis principia haberet cognita, extraordinarium est; quod dare petentibus neque promisit, neque tenetur; tum quia talis notitia ad salutem necessaria non est, cum absque illa vitari peccata formalia possint, & salus obtineri. *Ad divinam providentiam* (inquit S. THOMAS q. 14. de verit. a. 11. ad 1.) *pertinet, ut cuilibet provideat de necessariis ad salutem, dummodo ex ejus parte non impediatur.*

*Inst.* Ad ea, quæ Juris naturalis sunt, Deus non potest non obligare; proin etiam tenetur dare media, quibus in cognitionem illorum perveniatur. *Resp.* Deus non potest non obligare vel proximè, vel remote. C. Semper proximè. *Subd.* Non potest non obligare scientem. C. Invincibiliter ignorantem. N. A. Tota lex naturæ invincibiliter ignorari nequit ab omnibus, quia alioquin Deus nec providè gubernaret creaturam rationalem, nec obtineret finem, quem in productione creaturæ rationalis necessariò intendit, suam videlicet gloriam, divinarumque perfectionum manifestationem. Secus est, si ignorantur conclusiones particulares à primis principiis remotiores, & operoso nonnisi ratiocinio ex illis deductæ; etenim stante hac ignorantia adhuc datur sufficiens norma honestè operandi, promovendique gloriam Dei, & bonum totius universitatis. Siqui DD. veluti S. AUGUSTINUS *Tract. 49. in Joann. S. CHRYSOSTOMUS Hom. 24.*

in *Matth.* S. BONAVENTURA in *Centiloq.* p. I. S. THOMAS Quodlib. 8. a. 13. GRATIANUS, GERSON alique videntur negare, invincibilem Juris naturalis ignorantiam dari posse, intelligi debent de primis principiis, quod ista nequeant invincibiliter ignorari; idque satis constat ex notionibus, quas Juri naturali indiderunt. Sic S. AUGUSTINUS *loc. cit.* ait: *Legem naturalem homines habent in corde defixam. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Ecce lex in corde tuo est: Quod non vis pati, facere noli.* Similiter S. CHRYSOSTOMUS loquitur de primo Juris naturæ principio: *Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis;* atque ad hujus ignorantiae præsidium confugere ait impossibile esse. Nec Jansenistis favet, quod habet S. THOMAS *l. cit.* *Duobus modis aliquis ad peccatum obligatur, uno modo faciendo contra legem, ut cum aliquis fornicatur; alio modo faciendo contra conscientiam, etiamsi non sit contra legem. . . . Illud autem, quod agitur contra legem, semper est malum, nec excusatur per hoc, quod est secundum conscientiam; nam certum est omne illud esse peccatum formale, quod est contra legem vincibiliter ignoratam, neque excusari per hoc, quod sit juxta conscientiam errore vincibili dictantem, esse licitum, quod agitur.* GRATIANUS compiler *dist. I.* *Jus naturale dicit esse, quod in Lege & Evangelio continetur, quo quisque jubetur alii facere, quod sibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod sibi nolit fieri.* GERSON *L. de Pot. Eccles.* ait: *Veritates si cognoscantur per evidentiam naturalem, accipitur Jus propriè naturale.* Siqui alii ex anti-

tiquis TT. negarunt ignorantiam Juris naturalis excusare à peccato, secuti sunt receptum hoc à Jure, maximè Civili axioma: *Ignorantia Juris neminem excusat*; verùm regula ista, quam in absolvendo, vel condemnando reo Leges respiciunt, non est alia, quàm negligentia præsumpta in addiscendis iis, quæ scire quis potuisset, & debuisset; quamvis & ipsi JCTi quosdam, veluti milites, & mulieres ab hac universalitate exceperint.

## CAPUT II.

*De Libertate actus humani.*

68. **H**ostes sui que impugnatores semper plurimos habuit hominis libertas: primi fuere, qui fati necessitate positâ, huic hominis etiam voluntatem subjecerunt; veluti *Democritus*, *Epicurus*, ac re ipsa *Stoici* quoque & *Platonici*, tametsi verbaliter sentire viderentur. Tum HH. veteres, *Valentiniani*, *Manichæi*, ac reliqui similes, contra quos Ss. *IRENAEUS*, *CLEMENS Alexandrin.* & *EPIPHANIUS* disputarunt. His meritò accensentur *Mathematici*, sive *Astrologi* judiciarii omnia ex inevitabili siderum & planetarum influxu metientes. In posteriori atate *Lutherus* liberum arbitrium dixit esse *titulum sine re*: nam inter ejus articulos à *LEONE X.* damnatos 36tus sic habet: *Liberum*, inquit, *arbitrium est figmentum in rebus, seu titulus sine re.* Hunc suum errorem uberius exposuit in *Comment. ad c. 3. Gen.* & in *L. de servo arbitrio* adversus *Erasmum*, ubi circa initium ait, *quidquid fit à nobis sive boni, sive mali, merâ necessitate fieri.* Quod docuerat *Lutherus*,

therus, subinde probavit Calvinus tum in *Antidoto Concilii Tridentini ad Can. 5. Sess. 6.*, tum in *L. 2. Instit.* ubi liberum arbitrium nunc *simulacrum* vocat; nunc solam coactionem voluntati contrariam esse adfirmat, non verò necessitatem, hominesque non modò peccare necessariò, sed etiam *motum gratia necessario sequi*, ita ut *liberâ cujusque electione non aut recipiatur, aut respuatur.* Cumque Pighius in *Tract. Theolog.* liberum sic interpretatus esset, quod *sui juris est, aut sui ipsius habet potestatem, nempe ita facienda, quidquid facit, ut non necessariò faciat, sed possit non facere*; Calvinus *L. 2. c. 5. §. 11.* ita loquitur: *Si coactioni opponitur libertas; liberum esse arbitrium, si hoc sensu vocetur, quia non cogatur, aut violentè trahatur externo motu, sed sponte agatur suâ.* Et paullo post liberum arbitrium idem definit esse, quod *spontaneum*; quod uti consistere cum *necessario* potest, ita *coactio* repugnat. Uterque Hæresiarcha, quisque suos, habuit sectatores. In eundem censum venire meruit *Jansenius Iprensis L. 4. de gratia Christi* docens, per *Adami* lapsum amissam esse indifferentem voluntatis humanæ potestatem, qua se flectere utramlibet in partem possit, esseque in homine perpetuam quamdam luctam duarum delectationum, quæ quidem nec deliberatæ sint, nec in hominis potestate positæ, alterius *terrenæ, caelestis* alterius, quarum hæc ad bonum, illa ad malum trahat. Harum quæcumque gradibus superior fuerit, ab ea animum secum contentientem, & primum trahi, nullâ ei relicta aut obfistendi, aut delectationem hanc abjiciendi facultate voluntatem tamen manere liberam

beram

beram, eoquod voluntariè, sponte, ac citra coactionem consentiat, nam *nullam necessitatem actibus liberis formidandam esse, sed solam vim, coactionem, ac necessitatem violentiæ*, ait L. 8. de grat. Chr. c. 19. Thomas Hobbesius uti materialissimum, ita & necessitatem libertatis eversivam professus est in opusculo de *necessitate, & libertate*. Non minùs atrox libertati bellum indixit Antonius Collins in opere: *Recherches Philosophiques sur la liberté de l'homme*. Denique inter ceteros libertatis impugnatores referri merentur Joannes Lokius in Opere de *Intellectu humano*, & Leibnitiuss propter suum *systema Harmoniæ præstabilitæ*.

69. Libertas generatim est immunitas à servitute & subjectione. Tot igitur modis intelligi libertas potest, quot modis accipitur servitus, cui opponitur. Proinde alia est *libertas à peccato*, quæ dicitur *libertas gratiæ*: nam *fuiſtis servi peccati . . . liberati autem à peccato, servi facti estis justitiæ*. Ad Rom. 6. v. 17. & 18. Alia *libertas est à miseria*, cui quis obnoxius est, & vocatur *libertas gloriæ*, quæ in cælo duntaxat erit perfecta. Rurſus alia est *libertas à lege*, cujus vinculo quis constringitur, atque hæc solius Dei propria est, cum creaturæ rationales omnes legum vinculis constrictæ teneantur. Quarta est *libertas à vi & coactione*, sive, ut loquuntur *Jansenistæ*, *à necessitate cogente*, & est potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis necessariò quidem agit, sed tamen sponte absque vi à principio extrinseco illata, & cogente ad operandum; uti fit in omnibus actibus voluntatis quantumvis necessariis; quoad hos enim voluntatem cogi non posse; ex dictis luculentè

lentè patet. Quinta denique libertas est à *simplici necessitate*: atque hanc Orthodoxi communissimè definiunt, quòd sit potentia, quæ positis omnibus ad agendum requisitis agere potest, & non agere; unde etiam *libertas arbitrii*, vel *indifferentiæ* nuncupatur, cùm sit ad opposita. Hæc iterum duplex statuitur, *exercitii* vel *contradictionis*, quæ est potentia ad actum, & ejus omissionem, veluti ad amorem, & omissionem illius, & *specificationis*, quæ est ad actus specie diversos, veluti ad amorem & odium; vel etiam ad actus disparatos, veluti ad scriptionem & lectionem; prior illa dicitur *libertas contrarietatis*; hæc *ad disparata*. *Essentia libertatis à simplici necessitate* in eo præcisè sita est, quòd sit facultas, quæ positis omnibus ad agendum prærequisitis potest agere, & non agere; ita quidem, ut in sensu composito omnium ad agendum prærequisitorum detur potentia agendi, & non agendi, sive, ut Scholæ loquuntur, *simultas potentia* ad opposita, quamvis dari nequeat *potentia simultatis*, cùm actio & non actio, utpote duo contradictoria, simul & in eodem instanti conjungi nequeant. Manifesta hæc sunt ex *Can. 4. Sess. 6. TRIDENT.* ubi: *Siquis dixerit, liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passivè se habere, anathema sit.* Igitur homo in sensu composito gratiæ, potest eidem & consentire, & dissentire, nam sicut homo non dicitur consentire gratiæ nisi

habi-

habitæ; ita nec propriè dissentit gratiæ nisi habitæ. Id quod ipsa Synodus satis declaravit c. 5. *Seff.* cit. cùm dixit, homines nullis eorum existentibus meritis vocari, ut, qui per peccata à Deo averfi erant, per ejus excitantem, atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eisdem gratiæ liberè assentiendo & cooperando, disponantur; ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus S. illuminationem; neque homo ipse nihil omnino agat inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit. Præterea hominem in sensu diviso dissentire posse aut gratiæ intrinsecè necessitanti, aut delectationi victrici, neque Lutherus & Calvinus negarunt, neque Jansenius: quorum tamen doctrinam ceu libertati infensam Ecclesia damnavit. Et numquid causa necessaria in sensu diviso prærequisitorum agit? ignis non applicatus num lignum consumit? quod igitur illam inter & causam liberam discrimen statues?

a) Confundi non debent voluntas humana, & liberum hominis arbitrium; nam ea etiam volumus, quæ ex simplici necessitate antecedente volumus; proinde voluntas latius patet, quàm liberum arbitrium: neque etiam hoc præcisè dici potest æquilibrium voluntatis, quia hæc sæpe libera est, tametsi in unam partem magis, quàm in alteram propendat, teste experientiâ.

ß) Libertas propriè talis cùm sit potentia proximè expedita ad utrumque oppositorum, importat indifferentiam: quod enim potest agere, & non agere, est indifferens ad utrumque. Triplex autem indifferentia distingui solet, *objectiva*, estque judicium indifferens, proponens objectum cum aliqua ratione mali, vel non cum omni ratione boni.

Judi-

Judicium hoc quamvis in agente prærequiratur, ut libertatem exerceat; non tamen sufficit, quia posito hoc judicio indifferente de objecto in intellectu humano, Deus necessitare voluntatem potest ad illius objecti amorem, quo facto objectum necessariò amabit voluntas, licet in intellectu judicium indifferens extet. Unde etiam *Calvinus* alique *HH.* tamquam libertatis hostes ab Ecclesia damnati sunt, tamen si judicium hujusmodi indifferens non negarent. Alia est indifferentia *passiva*, in eo sita, quòd voluntas subjecti instar actionem ceu formam recipere queat. Et neque istam *Lutherus* & *Calvinus* inficiati sunt. Igitur indifferentia *activa* libertatem constituit, quæ est ipsa potentia agendi, & non agendi.

2) *Fanseniani* ubi *liberum* id esse dicunt, quod sui Juris & potestatis est; illud verò in nostra esse potestate, quod, cum volumus, facimus; re ipsa liberum arbitrium & voluntatem pro uno eodemque accipiunt: cum enim voluntas quoad actus suos elicitos vim & violentiam pati nequeat, nullâ ratione cogi potest, ut velit; igitur volitionem in sua potestate habet; proinde hæc illi libera est, quia coacta non est. Ita illi Quam quidem *liberi* notionem à *Luthero* & *Calvino* mutuati sunt. Id ipsum ante *Fansenium* docuerat *Bajus*, ut liquet ex hac ejus propositione *3<sup>ia</sup>*, damnata à *PIO V.* & *GREGORIO XIII.* *Quod voluntariè fit, etsi necessariò fiat, libere tamen fit.* Cui consona est hæc *6<sup>ta</sup>* pariter damnata: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Libertas spectari potest vel *in actu 1<sup>mo</sup> remoto*, 70. estque ipsa voluntas ex se apta ad determinandum Præ- sese ad opposita; vel *in actu 2<sup>do</sup>*, & est ipse actus requi- ita libere elicitus, ut positus omnibus ad agendum sita ad liber- prærequisitis omitti potuisset; vel *in actu 1<sup>mo</sup> proximo*, quatenus dicitur potentia proximè expedita tem. ad opposita vel contradictionis, vel contrarietatis. Hæc potentia ut habeatur, ex dictis requiritur 10. potentia non solum passiva actum aliquem recipiendi, sed etiam activa, sive potestas illum ipsum

ipsum actum ponendi, & non ponendi. 2<sup>o</sup>. Cognitio indifferens, *h. e.* proponens motiva tum alligantia, tum retrahentia: sicut enim nihil volitum, nisi præcognitum; ita nec libere volitum, ubi voluntas per ipsam cognitionem ad unum determinatur. 3<sup>o</sup>. Concurfus Dei physicè indifferens ad utrumque, aut si de actione salutari sermo sit, gratia divina supernaturalis excitans, & præveniens, prout dictum in *Tract. de Gratia*. 4<sup>o</sup>. Negatio omnis impedimenti, quod per ipsum actum secundum auferri nequit: quò pertinent omnia, quæ voluntatem antecedenter, & inimpedibiliter ad unum determinant. Nam sicut libertati spontaneitatis contraria est vis & coactio; ita libertati indifferentiæ opponitur necessitas antecedens.

2) *Electio* ita necessaria est libertati, ut S THOMAS 1. p. q. 62. a. 8. ad 3. libertatem definiverit, quòd sit *vis electiva mediocum servato ordine suis*. Nempe ex eo quis intelligitur esse liberi arbitrii, quòd ad unum se determinare queat, altero recusato, quòd est eligere. Sicut autem nulla est libera actio voluntatis sine electione; ita nulla est electio sine consultatione ac deliberatione, Unde ipse Philosophus 3. *Ethic. c. 3. προαιρετικη* sive electionem dixit eorum, quæ in nostra potestate sita sunt, ex deliberatione constantem appetitionem. Consilium autem sive consultatio ac deliberatio non est, ubi plurium libera non est optio, sed ad unum necessariò adfixa est, & constricta voluntas, quamvis id ipsum sponte persequatur, immo ardentè expetat, & avidè complectatur.

3) *Necessitas* in genere est determinatio ad unum: potest autem voluntas determinari ad unum vel à natura sua, & ideo *necessitas nature* dicitur; veluti cum voluntas non potest non appetere bonum in genere; vel ex aliquo adveniente, uti contingit in Beatis, quòd visio Dei intuitiva ad eius amorem rapit. Hæc vel *antecedens* est, quæ liberum omnia voluntatis imperium antecedit, ideoque indifferen-

tiam

nam actus primi proximi impedit, aut destruit, vel consequens, quæ liberam voluntatis determinationem consequitur, ac proinde libertati non obest.

Q U A E S T I O I.

*Utrum Homo in Statu naturæ lapsæ habeat veram libertatem indifferentiæ ad bonum & malum?*

U<sup>sus</sup> liberi arbitrii humani consistit in his tribus: ut possis agere, & non agere, agere bene vel malè; ex duobus alterum præ altero eligere. Hunc libertatis usum fuisse penes hominem in statu innocentiae, Lutherani & Calvinistæ haud dissententur ob clarum textum *Eccli 15. Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilii sui. Adjecit mandata & præcepta sua: si volueris mandata servare, conservabunt te. Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors, bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* In statu autem naturæ lapsæ liberum hominis arbitrium penitus extinctum esse, Lutherus & Calvinus contendunt. *Vid. num. 68.* Et quidem Calvinus L. 3. *Inst. c. 23. §. 8.* duo hæc principia ponit; alterum, nihil fieri Deo permittente, sed quæcumque fiunt, Deo volente evenire; alterum, voluntatem Dei esse rerum necessitatem; proinde necessariò fieri omnia, libere nihil ab homine. *Bajus & Fansenius* cujusvis humanæ actionis necessitatem ex delectationis cœlestis, aut terrenæ quoad gradus superioritate derivant.

72. Duplicis generis actiones sunt, de quibus, utrum liberæ sint? disputari potest. Aliæ *morales*, sive *politice*, quæ ex propriis naturæ viribus pendent, veluti comedere, ambulare, negotiari, operam navare literis, &c. Atque in hujusmodi actionibus nos liberi arbitrii habere usum, testis est propria cujusvis experientia, neque *Lutherus*, *Melanchthon*, aliique nostræ ætatis Hæretici inficiantur. Aliæ *supernaturales* sunt, quæ à viribus gratiæ dependent. Ubi Catholici hæc tria distinguunt: 1<sup>o</sup>. Nos nihil boni operis, quod ad vitam æternam conducatur, absque præveniente & adjuvante Dei gratia operari posse, juxta illud *Joann. 15. v. 5. Ego sum vitis, vos palmites; qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum: quia sine me nihil potestis facere.* Et 2. ad *Cor. 3. v. 5. Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est.* 2<sup>o</sup>. Neque in nostra potestate esse, ut habeamus gratiam Dei prævenientem, qua excitemur ad bene operandum, quia *non volentis, neque currentis; sed miserentis est Dei.* Ad *Rom. 9. v. 16.* 3<sup>o</sup>. Esse tamen in nostra potestate, ut divinæ, qua instructi sumus, gratiæ cooperemur, dicente Apostolo: *Gratiâ autem Dei sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* I. ad *Cor. 15. v. 10.*

73. *Datur vera libertas in* Homo in statu naturæ lapsæ habet veram libertatem indifferentiæ. Est de Fide. Nam 1<sup>o</sup> manifesti sunt S. Scripturæ textus. Sic *Deut. 30. c. v. 19. Testes invoco hodie calum & terram, quod propo-*

proposuerim vobis vitam & mortem, benedictio-  
 nem & maledictionem. Elige ergo vitam, ut ne la-  
 vivas. Et Jos. 24. v. 15. Sin autem malum vo-  
 bis videtur, ut Domino serviatis; optio vobis da-  
 tur. Eligite, hodie quod placet, cui servire po-  
 tissimum debeatis. Iterum 2. Reg. 24. c. v. 12.  
 Trium tibi datur optio, elige unum, quod volue-  
 ris ex his, ut faciam tibi. Et Eccli. 31. c. v.  
 10. Quis est probatus in illo? qui potuit trans-  
 gredi, & non est transgressus, & facere mala,  
 & non fecit. Rursus Matth. 19. v. 17. Si vis  
 ad vitam ingredi, serva mandata. Et c. 23.  
 Quoties volui congregare filios tuos, sicut galli-  
 na congregat pullos suos sub alas, & noluisti.  
 Et Apoc. 3. Ecce sto ad ostium, & pulso; si quis  
 aperuerit mihi januam, intrabo ad illum. Igi-  
 tur homo post Adæ peccatum habet facultatem agen-  
 di, & non agendi; habet electionem vitæ & mor-  
 tis; potest transgredi præcepta, & servare; potest  
 Deo vocanti obedire, & resistere; ergo liberum  
 arbitrium per peccatum primi parentis extinctum  
 non est. Præteriri hoc loco non debet illud Gen.  
 4. v. 7. Nonne si bene egeris, recipies: sin autem  
 malè, statim in foribus peccatum aderit? sed sub  
 te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius;  
 ubi Deus promittit præmium Caino, si bene ege-  
 rit; minatur pœnam, si male; proinde erat in po-  
 testate Caini æque bene agere cum gratia Dei, ac  
 malè agere, alioquin ridicula fuisset illa conditio;  
 sicut ridiculum foret dicere, Si solem stiteris, re-  
 cipies, sin, occideris. Immo quo major pœna  
 intentatur sub conditione impossibili; eò major est  
 crudelitas & stultitia, quæ in Deum cadere non

possunt. Habet præterea sacer sextus: *Sub te erit appetitus ejus* (peccati, cujus immediatè facta mentio fuerat) *& tu dominaberis illius*; igitur hic appetitus non necessitat: & datur in statu naturæ lapsæ facultas dominandi appetitui, & resistendi tentationibus. Idcirco Versio ARABICA: *In electione tua appetitus ejus.* Et TARGUM Hierosolym. "In manum tuam tradidi potestatem concupiscentiæ tuæ, & tu dominare ei, sive ad bonum, sive ad malum." 2<sup>o</sup>. Hanc veritatem adversus HH. definiuit Synodus TRIDENTINA Sess. 6. can. 5. *Siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, immo titulum sine re, figmentum denique à Satana inventum in Ecclesiam; anathema sit.* Et Ecclesia nullâ non ætate eos habuit Hæreticos, qui libertatem indifferentiæ temere & pertinaciter negarunt. 3<sup>o</sup>. Confirmatur testimoniis PP. S. JUSTINUS Martyr. *Apol. 2. Sed enim, inquit, quia liberi arbitrii & Angelorum & hominum genus ab initio creavit Deus, justo judicio pro peccatis suis supplicium in igne sempiterno reportabunt.* Illa quippe ortæ cujusque rei natura est, ut virtutis & vitii sit capax, neque quidquam eorum, quæ creata sunt, laude dignum esset, nisi vim ac potestatem altero versus se convertendi obtineret. Et *Apol. 1. Si . . . fato omnia fiant, nihil etiam planè in nostra fuerit potestate situm. Si enim fatale sit, hunc quidem esse bonum, illum verò malum: neque ille fuerit probandus, neque hic reprehendendus; ac nisi arbitrio libero, & ad turpia fugienda, & ad honesta diligenda, facultatem habeat mortalium ge-*

*uus, non fuerit in causa, sive culpa qualiumcum-  
 que demum factorum. S. IRENAEUS L. 4. advers.  
 Haeres. c. 72. Si igitur, inquit, non in nobis es-  
 set facere hac, aut non facere; quam causam ha-  
 bebat Apostolus, & multò priùs ipse Dominus,  
 consilium dare, quadam quidem facere, à quibus-  
 dam verò abstinere? sed quoniam liberæ sententiæ  
 ab initio est homo, & liberæ sententiæ est Deus,  
 cujus ad similitudinem factus est, semper consi-  
 lium datur ei, contineri bonum, quod perficitur  
 ex ea, quæ est ad Deum, obedientia. S. CLE-  
 MENS Alexandrin. L. I. Strom. ait: Quoniam libe-  
 ra electio & appetitio peccata primùm in-  
 choat, jure infliguntur supplicia. ORIGENES  
 L. 6 in ep. ad Rom. sic loquitur: Hoc est ergo,  
 quod hoc in loco Apostolus docet: quia unusquis-  
 que in manu sua habet, & in arbitrii potestate,  
 ut aut peccati servus sit, aut justitiæ. Ad quam-  
 cunque enim potestatem inclinaverit obedientia,  
 & cuicumque patere voluerit, hac sibi eum vendi-  
 cat servum. In quo, ut dixi, absque ulla cur-  
 statione in nobis esse ostendit arbitrii libertatem.  
 In nobis namque est exhibere obedientiam vel justiti-  
 æ, vel peccato. S. CYPRIANUS ep. 55. ad Cor-  
 nelium P. de Christo à quibusdam Discipulorum  
 suorum deserto sic scribit: Et tamen ille non in-  
 crepuit recedentes, aut graviter comminatus est;  
 sed magis conversus ad Apostolos suos dixit: Num-  
 quid & vos vultis ire? servans scilicet legem,  
 qua homo libertati suæ relictus, & in arbitrio  
 proprio constitutus, sibimet ipse vel mortem appe-  
 tit, vel salutem. S. ATHANASIUS in Orat. contr.  
 Gent. de anima ita differit: Movetur igitur, sed*

jam non secundum veritatem, neque Deum spectat, sed res nihili; easque veras ac solidas arbitrata essentias, vires suas occupat, iisque ad eas, quas commenta est, voluptates abutitur, ideo, quod libera sit, & sui arbitrii. Potest enim ut ad bona se inclinare, ita bona quoque aversari. Quæ cum liberum sui jus arbitriumque intuetur, & sentit se in utramque partem corporeis membris uti posse, tum ad ea, quæ sunt, tum ad ea, quæ non sunt. Ea autem quæ sunt, appello bona; quæ non sunt, mala. Eadem fuit constans reliquorum PP. & DD. sententia. 4<sup>o</sup>. Rationes sunt sequentes I. Si homo lapsus non haberet libertatem arbitrii, & indifferentiæ, inutilia & superflua forent consilia, adhortationes, præcepta, comminationes, præmia & pœnæ: vel enim homo esset necessario determinatus ad facienda ea, quæ consuluntur aut præcipiuntur; & non posset non facere, absentibus etiam consiliis & præceptis; vel necessario determinatus foret ad ea non facienda: & frustra prohiberetur ab eo, à quo abstinere non posset. II. Quisque experitur se pro arbitrio suo animum suum ad cujuscunque rei cognitiæ considerationem convertere, excitare in se cujusque rei actualem appetitionem; imperare in corpore quoscunque motus, ad quos dominium animi in corpus se extendit. Atque id quidem facere potest nullo alio inductus motivo, quam ut propriæ libertatis capiat experimentum, ac proinde ex motivo, quod sibi mens fingit, & nullo modo naturali & antecedenti. Quodsi verò ex intima tua conscientia certus sis de existentia tua; cur ex eadem de libero tuo arbitrio certitudinem non capias?

capias? III. Sensus, sive qui præcedunt, sive qui actiones humanas subsequuntur, evincunt nos esse liberos, Nam 1<sup>o</sup>. huic facultati inter omnes alias id peculiare est, quòd illam me habere sciam ante experimentum, & conscius hujus facultatis possum in antecessum prædicere, quid facturus sim, non tantum proximo momento, sed die vel anno proximo, & totius vitæ rationem instituire. Quinimo etiam causas occasionales futurarum mearum actionum planè arbitrarias statuere penes me est. (Neque id in politicis modò, sed etiam in negotio salutis locum habet) Qui sensus, quæ præscientia propria, & arbitraria prædefinitio eum necessitate nullâ ratione congruunt. Præterea huic facultati proprium est, ut ea, quæ ab ipsa imperantur, sive cogitationes sint, sive propensiones, sive actiones externæ, pro suis habeat, illaque sibi imputet, laudique vertat, aut vitio, cum similes sensus non habemus circa ea, quæ nobis prorsus involuntaria sunt; aut igitur natura nostra in hac parte vana est, dum ea nobis imputat, quorum causæ non sumus; aut revera sumus causæ & effectores illarum actionum. Prius illud ab omni sana Philosophia abhorret, & Pyrrhonistarum præcepta sapit. IV. Experimur nos posse iudiciis nostris, appetitibus, & omnibus motivis naturalibus vi solâ electionis, & arbitrato nostro resistere, nec ulla sequi motiva nisi arbitraria, & quæ ipsi finximus: quoties infirmus contra appetitus & propensiones naturales sumit potus medicos, & acerbis sectiones patitur, nec rarò tantâ alacritate, ut ipse dolor gratus quodammodo evadat, qui sepositâ electione fuisset molestissimus? igitur

certissimè constat, cum appetitibus & propensionibus naturalibus stare electionem sive arbitrium. V Si nulla est in homine lapsa libertas indifferentiæ; jam nullum erit discrimen inter malum naturale & morale, nullus erit locus virtuti, laus nulla, nec meritum, nec præmium virtutum; quæ omnia perquam absurda sunt in auribus non Catholicorum modò, sed vel ipsorum etiam Gentilium, qui Heroes suos, virosque de Republica bene meritos in Deorum numerum referre solebant, ut grati animi adfectus testarentur.

*Respondetur ad objecta.*

Obj. I. Plures sunt Sacræ Scripturæ textus, quæ haud obscurè significant libertatem indifferentiæ post Adæ peccatum amissam esse. Sic. *Jerem. 10.* dicitur: *Non est in homine via ejus, nec viri est, ut dirigat gressus suos.* Sic *Isa. 41.* Bene aut malè, si potestis, facite. *Ad Rom. 7.* Non enim quod volo bonum, hoc ago; sed quod odi malum, illud facio. *Et. c. 9.* Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. *I. ad Cor. 12.* Deus est, qui operatur omnia in omnibus. *2. ad Cor. 3.* Non sumus sufficientes aliquid cogitare à nobis quasi ex nobis. *2. ad Tim. 2.* de impiis dicit Apostolus, ut resipiscant à diaboli laqueis, à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Iterum *ad Rom 7.* Video aliam legem in membris meis captivantem me in lege peccati. **S. JOANNES c. 8.** Omnis, inquit, qui facit peccatum, est servus peccati. *Et ep. I. c. 3. v. 9.* Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semper ipse in eo manet; & non potest peccare, quoniam

niam ex Deo natus est. CHRISTUS ipse Matth. 7. Non potest, inquit, arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere. Ergo. Resp. Ad 1mum Sermo hic est vel de futuris eventibus, vel de Nabuchodonosore, cujus via hic dicitur non esse in potestate Judæorum, ut illum effugiant, consequenter videlicet ad prævisam impœnitentiam, & pœnas à Deo constitutas. Videatur contextus. Ad 2dum. Propheta hic Gentium idola alloquitur, nam totus versus 23. sic habet: *Annunciate, quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dii estis vos, bene quoque, aut male, si potestis, facite: & loquamur, & videamus simul.* Ad 3tium. Apostolus hic loquitur de motibus concupiscentiæ inordinatis, quos invitus patiebatur, aitque se facere, h. e. se inclinari ad malum, quod odisset. Hinc v. 22. dicit: *Condeletor enim legi Dei secundum interiorem hominem; & v. 23. rursus queritur: Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis:* ubi concupiscentiam vocat peccatum metonymicè; tum quia effectus peccati originalis est; tum quia ad peccatum inclinatur, & hominem veluti captivat motione, non consensione, ut ait S. AUGUSTINUS; & colligitur ex v. 25. *Igitur ego ipse mente servio legi Dei: carne autem legi peccati.* Mens itaque Apostoli erat libera, caro autem captiva sub lege peccati, sc. concupiscentiæ, quantum ad motus indeliberatos; à quibus ut liberaretur, aliàs ter Dominum rogavit. Ad 4tum. Contextus ita habet: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus: & divisiones mi-*

*nistrationum sunt, idem autem Dominus; & divisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus, h. e. qui diversa gratiarum dona hominibus largitur, quibus liberè cooperari homines possant. Ad 5tum. Omnis sufficientia nostra ex Deo est, quatenus absque gratiæ supernaturalis adjutorio nihil, quod ad vitam æternam conducatur, operari, immo nec cogitare valemus. Ad 6tum. Captivus tenetur omnis peccator, & servus est, sed eâ servitute, quæ opponitur libertati à peccato, non verò libertati à necessitate, cui sola determinatio ad unum, eaque antecedens & inimpedibilis opposita est. Quoties Deus in Sacris Literis hortatur peccatores, ut resipiscant? quoties comminatur supplicia perseverantibus in peccato & iniquitate suâ? igitur libertatem habent. Meritò proinde statuit Synodus TRIDENTINA Sess. 6. can. 6 *Siquis dixerit, non esse in potestate hominis, vias suas malas facere, sed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permissivè solùm, sed etiam propriè & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minùs proditio Judæ, quàm vocatio Pauli; anathema sit.* Ad 7mum. Nativitas ex Deo, de qua S. Evangelista *loc. cit.* loquitur, sita est in gratia sanctificante, per hanc enim filii Dei nominamur, & sumus, sc. adoptivi: fieri autem non potest, ut quis in sensu communi talis gratiæ peccet, alioquin Dei amicus simul, & inimicus foret. Hortatur nempe Apostolus Fideles ad dilectionem, & odium peccati, statuitque discrimen inter filios Dei, & filios diaboli, ac negat filios Dei esse, qui faciunt iniquitatem. Ad 8vum. Cùm Christus v. 15. & 16. dixisset: *Attendite vos à falsis**

*fis*

*sis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: à fructibus eorum cognoscetis eos. v. 18. subjunxit: Non potest arbor bona, &c. q. d. fieri non facile solet, immo nec moraliter potest, ut, qui malus est, bona opera diu & constanter faciat; igitur ex bonis aut malis operibus falsos Prophetas à veris licet discernere.*

*Obj. II. Ex v. 7. c. 4. Gen. nihil probatur pro libero hominis arbitrio, tum quòd nec in hebraico, nec in græco, nec in antiquis Ss. Patribus legatur: Sub te erit appetitus ejus, sed: ad te conversio ejus; tum quia sermo non est de dominio appetitus, aut peccati, sed Abelis, ut sensus sit: At te conversio ejus, sc. Abelis, & tu dominaberis Abeli. Volebat nempe Deus hic tollere causam invidiæ, Caino promittens, eum nihilominus mansurum primogenitum, licet specialis favor Abeli fuisset exhibitus. Resp. Esto, illud: sub te erit appetitus ejus; non habeatur in hebraico quoad verba; habetur tamen quoad sensum, ut patet ex immediatè antecedentibus, & consequentibus: Nam v. 6. Deus interrogat: quare iratus es? de re autem necessaria & inevitabili nemo prudenter interrogatur; dein v. 7. Nonne si bene egeris, recipies? sin autem malè, statim in foribus peccatum aderit: ubi certo certius exprimitur libertas Caini bene, vel malè faciendi; alioquin Deus conditionem istam frustra posuisset. Dein sequitur: Et tu dominaberis illius, h. e. iræ, aut invidiæ: nam de primo & secundò genito nulla prorsus hic mentio fit. Quiesce (inquit S. AUGUSTINUS L. 15. de civ. c. 7. ex Versione LXX.) ad te enim conversio ejus, & tu*

*tu dominaberis illius. Numquid fratris? absit, cujus igitur, nisi peccati? Et sanè relativa ejus, illius, referri debent ad id, de quo Deus antea fuerat locutus: nihil autem cum Caino locutus fuerat de Abele, sed de peccato tam quoad culpam, quàm quoad pœnam sumpto. Atque ita hunc locum exposuere Patres: S. HIERONYMUS in QQ. Hebr. Cainum alloquitur, dicens: Quia liberi arbitrii es, moneo, ut non tibi peccatum, sed tu peccato dominevis, S. PROSPER L. 2. de vocat. Gent. c. 13. Noli peccato regnum in te dare, sed tu potius in ipsum sume dominatum. S. AMBROSIVS L. 2. de Cain c. 7. In te, inquit, revertetur crimen, quod à te cœpit: non habes, in quo necessitatem magis, quàm mentem tuam arguas.*

*Inst. 1. Chatath peccatum apud Hebræos est gen. fem. ¶ autem ejus, & illius est gen. mascul. igitur hæc relativa non pertinent ad peccatum. Resp. Chatath esse generis masculini contra communem regulam, patet ex adjuncto participio masculino robhez cubans in foribus; & Lev. 4. v. 24. expresse habetur chathath hu peccatum ipse. Sed & PP. & Versiones docent, particulas istas ad peccatum referri debere. Vid. num. 73.*

*Inst. 2. Fuerit Cain liber in naturalibus, v. g. ut fratrem odio haberet, aut non haberet: num ideo sequitur, eundem in supernaturalibus liberum fuisse? Resp. Igitur datur libertas indifferentiæ in statu naturæ lapsæ, proin ista per Adæ peccatum amissa, vel extincta non est. Immo ex LXX. patet, cit. v. 7. sermonem esse de actione supernaturali oblationis.*

*Obj.*

*Obj. III. Concilium ARAUSICANUM Can. 13. ait: Arbitrium voluntatis, in primo homine infirmatum, nisi per gratiam Baptismi non potest reparari: quod amissum nisi à quo potuit dari, non potest reddi. Quocirca CAELESTINUS I. ait: Naturalem possibilitatem Adami amissam esse per peccatum. Ergo. Resp. Hic Canon habetur inter 25. Canones Concilii Arausici, non primi, quod anno 441. celebratum est; sed 2di celebrati anno 529, & quidem potissimum adversus Pelagii errores. Proinde sensus est, primi hominis peccato amissas esse vires supernaturales arbitrii humani, quæ reddi non possunt nisi ab illo, qui primitus dederat, sc. à Deo. Has autem vires supernaturales CAELESTINUS Papa naturales vocat, eoquod iustitia originalis per generationem posteris communicata fuisset, si Adam de ligno scientiæ boni & mali non comedisset.*

*Obj. IV. Operationes omnes naturæ humanæ ad has quatuor reduci possunt, sc. perceptiones, iudicia, propensiones, & actiones ex his sequentes: sed in his omnibus homo liber non est; nam objecta percipimus, prout nobis sese offerunt; prout ea percipimus, sic iudicamus; prout iudicamus, sic propendemus, & volumus; voluntatis verò propensionem actio necessariò sequitur; ergo. Resp. Falsa est major propositio, quia præter has datur in mente vis viva sese commovendi, cogitationes, propensiones & actiones imperandi. Falsa etiam est minor, nam falsum est, nos ea duntaxat objecta percipere, quæ sese offerunt, cum ipsi in nobis ideas excitemus, illasque variè pro arbitrio combinemus. Falsum præterea est, nos iudicare ex prima objectorum*

ctorum specie; nam sapissime deliberamus de ob-  
jectorum naturis & adfectionibus, & durante deli-  
beratione varia & diversa judicia formamus.  
Item falsum est nos velle prout judicamus, nam  
quotidie volumus contra clarissima rationis judicia,  
juxta illud: *Video meliora, proboque; deteriora  
sequor.* Denique falsum est, actionem cum pro-  
pensione voluntatis necessariò conjunctam esse, quia  
contra propensionis vim ab actione sæpe abstinemus,  
nec rarò ea agimus, a quibus natura penitus ab-  
horret. Sequimur equidem semper ultimum judi-  
cium practicum, sed illud nihil aliud est, quàm  
ipsa arbitrii libera determinatio.

1) Sequitur ex his, dari in nobis arbitrii imperium in in-  
tellectum, in eo positum, quòd hac facultate uti possit ho-  
mo tamquam face ad res cernendas, eamque in quamlibet  
partem convertere. 2) Pariter in nobis existere imperium  
in appetitum, quatenus ex consideratione earum rerum,  
quæ speciem boni aut mali habent, excitare possumus desi-  
deria, vel averfationes. 3) Dari in nobis imperium vo-  
luntatis in se ipsam, quatenus se movere potest ad hos,  
vel illos actus eliciendos; & in membra corporis, quæ  
movere potest ad has, vel illas actiones, quantum patian-  
tur leges unionis animam inter & corpus, proindeque ho-  
minem esse dominum suarum cogitationum, appetitio-  
num, & actionum.

*Obj. V.* Causa satis potens ad producendum effe-  
ctum nequit existere, quin producat effectus;  
igitur homo, si causa suarum actionum sufficiens  
est, semper & necessariò agit. *Resp. D. A.* Cau-  
sa necessaria. C. Libera. N. A. Causa libera vim  
habet multa efficiendi, & tamen vim illam potest  
non exercere. Nempe causa libera est facultas  
sive potentia agendi, & non agendi, etiam tunc,  
ubi

ubi omnibus ad agendum prærequisitis instructa est; & solum causa necessaria est, quæ, ubi proximam ad agendum sufficientiam habet, necessariò agit.

QUAESTIO II.

*Utrum in statu naturæ lapsæ ad merendum, & demerendum necessaria sit libertas indifferentiæ?*

**A**d merita hominis lapsi vel demerita sufficere 74.  
 libertatem spontaneitatis, sive à coactione, putabat *Jansenius*, & liquet ex 3tia illius propositione damnata: *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas à necessitate, sed sufficit libertas à coactione.* Redivivus nempe hic in *Jansenio* fuit uterque *Hæresiarcha, Lutherus, & Calvinus*, quorum iste L. 2. de *lib. arb.* dixerat: *Si coactioni opponitur libertas, liberum esse arbitrium, & fautor, & constanter adsevero, ac pro hæretico habeo, quisquis secus sentiat; ille verò constanter adfernit voluntarium ac liberum unius ejusdemque notionis esse.*

*Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non sufficit libertas à coactione, sed requiritur libertas à simplici necessitate, sive absolutâ, sive relativâ.* Nam ipsa S. Scriptura rationem meriti & demeriti passim repetit ex libertate indifferentiæ, veluti *Eccli. 31. Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Accedit unanimis PP. consensus. 75. Ho. mo lapsus ut meretur, debet esse liber.

fus. *Nihil esset in illis laude dignum (inquit S. JUSTINUS in Apolog. ad Senat.) nisi facultatem haberent, qua se in utramque partem converterent.*  
 S. HIERONYMUS L. 2. advers. *Jovinianum* ait: *Liberi arbitrii nos condidit Deus, nec ad virtutem, nec ad vitia necessitate trahimur; alioquin ubi necessitas est, nec damnatio, nec corona est.* Id ipsum conficitur ex damnatione proposit. 67. *Baji*, quæ est: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit; & 3tæ Jansenii: Ad merendum, & demerendum, &c.* ut supra. Quæ quidem cum damnata sit ad mentem, & sensum *Jansenii* in ejus Libro expressum, ut declaravit CLEMENS XI. in Bulla: *Vineam Domini Sabaoth*; sequitur ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiri libertatem à necessitate non solum absoluta, sed etiam relativa, qua homo in systemate *Jansenii* jam in bonum, jam in malum necessario rapitur per alternativè superiorem delectationem, cœlestem aut terrenam. Nempe necessitas hujusmodi relativa non minùs, ac illa absoluta *Lutheri & Calvinii*, re ipsa tollit veram libertatem indifferentiæ in Sacris Literis adsertam, & in Synodo *Tridentina* roboratam, eoquod voluntas sic relativè determinata ad unum, æque parum habeat potentiam proximè expeditam ad oppositum; ac simpliciter & absolutè necessitata. Videantur dicta in *Tract. de grat. num. 358. & 415.* Confirmatur adsertum ratione: meritum est veluti pretium pro mercede, aut præmio; igitur in dominio nostro esse debet actio quævis meritoria: demeritum verò essentialiter est actus imputabilis ad culpam & pœnam, quo autem pacto nobis ita  
 impu-

imputari queat actio, ad quam antecederet necessitati sumus? communis certè hominum sensus fert, in laudem, aut vituperium verti posse nemini, qui, quod egit, non potuit non facere; aut qui omisit, quod facere nullâ ratione potuit. Quæ omnia complectitur S. THOMAS q. 6. de malo, his verbis: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur . . .* Hac autem opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti & demeriti in humanis actibus. Non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit . . . Non solum contrariatur Fidei (hæc opinio) sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis; sed ex necessitate movetur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum & punitio, & laus, & vituperium.

Obj. I. Ad merendum, vel demerendum sufficit vera, & essentialis libertas: hæc autem compatitur naturalem necessitatem. Resp. Synodus TRIDENTINA damnavit Lutherum, & Calvinum tamquam hæreticos, eoquod negarent veram libertatem: uterque autem Hæresiarcha non negavit libertatem spontaneitatis in homine lapsio; igitur nec ista est vera & essentialis libertas. Idem eruitur ex damnatione proposit. 3tæ & 6tæ Baji, quarum prior: *Quod voluntarie fit, etsi necessariò fiat; libere tamen fit;* posterior sic habet: *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.* Item ex damn. 3tia Jansenii. Sed & PP. procul dubio de vera & essentiali libertate disseruerunt,

quam in potestate agendi, & non agendi dixerunt sitam esse. Sed esto, sita sit essentialis libertas in motu spontaneo voluntatis, sive in immunitate à coactione; adhuc de Fide est, ad merendum & demerendum in statu naturæ lapsæ requiri libertatem indifferentiæ, ut patet ex dictis.

*Obj. II. S. THOMAS in 2. dist. 25. q. un. ait: liberum arbitrium dicitur ex eo, quòd cogi non potest. Et q. 10. de pœnit. a. 2. inquit: quòd naturalis necessitas libertati voluntatis non repugnet, quia libertas violentiæ & coactioni opponitur. Et in 3. dist. 18. a. 2. ad 5. sic habet: Dicendum, quòd etiamsi liberum Christi arbitrium esset determinatum ad unum numero, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest; tamen ex hoc amittit libertatem, aut rationem laudis sive meriti, quia in illud non coactè, sed sponte tendit, & ita est actûs sui dominus. Ergo. Resp. Ad Ium. τò cogi idem hic videtur significare, quod necessitari, nam idem S. D. I. p. q. 83. a. 3. in ○. ait: Quidquid repugnat electioni, repugnat libero arbitrio. Et I. 2. q. 13. a. 2. Brutis, inquit, animantibus electio non convenit, quia illarum appetitus sensitivus est determinatus ad unum particulare secundum ordinem naturæ. Rursus I. p. q. 19. a. 1. ait: Liberum arbitrium habemus respectu eorum, quæ non necessariò volumus, vel naturali instinctu. Et a. 3. Liberi arbitrii dicimur, quia possumus unum recipere alio recusato. Ulteriùs L. 1. contr. Gent. c. 68. ita differit: Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in ejus potestate est velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis*

ad

Ium

*ad unum, & violentiam causæ exterioris agentis.*  
 Ad 2dum. Loqui videtur S. D. de libertate spontaneitatis, cui sola violentia opponitur. Ad 3tium. Tametsi Christus esset necessitatus ad amandum Deum secundum se, & hoc sensu ad unum numero; adhuc tamen erat liber ad amandum ex uno vel pluribus motivis, cum hac vel illa actûs intentione, hoc aut illo tempore, sicque rationem laudis & meriti non amisit. Atque hic videtur sensus fuisse Doctoris Angelici. Nec obest, quòd dicat: *quia in illud non coactè, sed sponte tendit;* videntur enim hæc verba idem sonare, ac *necessariò, & libere,* quia addit: *& ita est actûs sui dominus;* actuum autem necessariorum domini non sumus, ut ipse ait 1. p. q. 82. a. 1. *Sumus domini nostrorum actuum, secundum quod possumus hoc vel illud eligere.*

Obj. III. Inter cæteras rationes, cur ad merendum & demerendum necessaria sit libertas indifferentiæ, est quoque ista: quia alioquin actus meritorii, aut demeritorii non essent morales, cum actus spontanei, & necessarij, utpote invariabiles, à regulis morum dirigi nequeant; hæc autem ratio est nulla, quia (ut loquitur S. THOMAS in 2. dist. 40. q. 1. a. 1.) *actus sunt in genere moris ex hoc, quòd sunt voluntarii.* Et q. 6. a. 2. ad 3. *Laus, inquit, & vituperium consequuntur actum voluntarium secundum perfectam voluntarii rationem, qualis non invenitur in brutis.* Item in 3. dist. 12. q. 2. a. 1. ad 3. ait, quòd *impotentia coactionis, quæ opponitur voluntario, tollit rationem meriti, & demeriti; non impotentia, quæ est ex perfectione in bonitate vel malitia, quia hæc vo-*

luntarium non tollit, sed ponit voluntatem confirmatam in bono. Ergo. Resp. Ad 1mum & 2dum. S. D. loquitur de voluntario perfecto hominis viatoris, quod cum libertate indifferentiæ semper conjunctum est. Ad 3tium. Ex verbis postremis istud tantum conficitur, libertatem contrarietatis ad libertatis essentiam non pertinere, ut patet in Christo, de quo *cit. a.* quærit, utrum peccare potuerit?

Obj. IV. S. DAMASCENUS L. 3. de Fide c. 14. ait: *Arbitrii libertas nihil aliud est, quam voluntas.* S. ANSELMUS L. de Concordia q. 1. c. 2. docet: *Ex libertate fit, quod fit ex voluntate.* S. BERNARDUS de lib. arb. c. 1. *Ubi voluntas, ibi libertas; & hoc est, quod dici puto liberum arbitrium.* S. PROSPER L. contra Collatorem c. 19. liberum arbitrium definit, *quod fit rei sibi placitæ spontaneus appetitus.* Ergo. Resp. Ad 1mum. S. P. per voluntatem intelligit potestatem agendi, & non agendi, quia ibid. ex instituto probat, hominem suas actiones ita in potestate habere, ut illas pro arbitrio facere, & non facere possit. Ad 2dum. S. D. Similiter per voluntatem intelligit facultatem agendi & non agendi, aitque ibid. libertati oppositam esse solam coactionem, *h. e.* necessitatem antecedentem; necessitatem verò consequenter non esse propriè necessitatem, *quia illam facit ipsa voluntatis libertas.* Ad 3tium Doctor mellifluus L. de grat. & lib. arb. libertatis in utrumvis inclinandi potestatem ita describit: *Nunc igitur ex eo potius liberum arbitrium dicitur; quod siue in bono, siue in malo, æque liberam facit voluntatem, cum nec bonus quispiam, nec item malus*  
dicit

*dici debeat, aut esse valeat, nisi volens.* Qua autem ratione se habeat voluntas, ut ad utrumque libere se moveat, ita exponit: *Tali jam ratione non incongruè dicitur ad bonum se, & ad malum habere æqualiter, quòd utrobique videlicet par sit ei non quidem in electione facilitas, sed in voluntate libertas.* Illa verò æqualitas quid est nisi indifferentia ad utrumque, sive libertas à simplici necessitate? *Nemo proinde putet (ait ibid.) ideo dictum liberum, quod æquã inter bonum & malum potestate, aut facultate versetur: cùm cadere quidem per se potuerit, non autem resurgere nisi per Domini spiritum.* Alioquin nec Deus, nec Angeli Sancti, cùm ita sint boni, ut non possint esse mali; nec prævaricatores item Angeli, cùm ita sint mali, ut jam non valeant esse boni; liberi arbitrii esse dicuntur. *Sed & nos illud post resurrectionem amissuri sumus, quando utique inseparabiliter alii bonis, alii malis admixti fuerimus.* Ubi S. D. verissimè ait, libertatis naturam & essentiam in eo positam non esse, ut æqualiter in malum bonumve impelli queat; hoc enim libero Dei arbitrio non convenit; quamvis liberum creaturæ arbitrium suoapte nutu postulet, ut in utrumlibet moveri possit, habitis sc. omnibus prærequisitis. Itaque per voluntatem loc. objecto facultatem ad utrumque intelligit, dicens ibid. *Ex eo potius liberum arbitrium dicitur, quod sive in bono, sive in malo æque liberam facit voluntatem.*

Obj. V. S. IRENAEUS L. 4. c. 71. ait, liberum hominem ab initio esse factum, habentem suam potestatem, sicut & suam animam, ad utendum sententiâ Dei voluntariè, & non coactum à De.

*Vis enim à Deo non fit.* Igitur ea duntaxat vis libertati repugnat, qua fit aliquid nolentibus nobis. *Resp.* Vis & coactio à S. Patre pro ea necessitate fumitur, quæ voluntatem ineluctabiliter ad unum determinat, sive interna sit, qua quis sponte unum aliquid adsciscit, alterius detractâ potestate, uti in fatali necessitate contingere ajebant gentiles Philosophi; sive externa sit, & voluntatem alioqui liberam, invitam ramen & renitentem vi quadam majore compellat. Intelligit inquam S. P. vim ejusmodi, quæ indifferentem voluntatis libertatem impedit; ait enim: *Dedit ergo Deus bonum, quemadmodum & Apostolus testificatur in eadem epistola.* Et qui operantur quidem illud, gloriam & honorem percipient; quoniam operati sunt bonum, cum possunt non operari illud. Hi autem, qui illud non operantur, judicium justum recipient Dei; quoniam non sunt operati bonum, cum possint operari illud. Et propter hoc consilium quidem bonum dat omnibus. Posuit autem in homine potestatem electionis. Deus consilium dat homini; homo quod vult, eligit.

*Obj. VI.* Amor beatificus est moralis & honestus ac laudabilis, tametsi necessarius sit. *Resp.* Est laudabilis *objective*, inquantum est conformis naturæ rationali, & Beatum in genere morum reddit bonum, dignumque, cui laus idcirco tribuatur. Non tamen est laudabilis hoc sensu, quòd ad meritum imputari possit, quia, ut aliquid verè, ac propriè meritorium sit, ex definitione certa, & indubitata Ecclesiæ requiritur, ut libere & elective ponatur ab homine. Hinc adeò actus externus ab homine viatore positus, quia in se liber non est, sed

sed denominativè tantùm, nonnisi improprie meretur; aliquando tamen dicitur augere meritum, non ratione sui, sed inquantum est occasio, ut generosior sit actus internus voluntatis.

*Inst. 1.* Inter errores *Petri Abailardi* 13tius est, quòd sola voluntas à Deo aternaliter remuneratur sive ad bonum, sive ad malum; quodque propter opera nec peior, nec melior efficiatur homo, nisi fortè, dum operatur, ejus voluntas augetur. *Resp.* *Abailardum* intellexisse opera cum actu interno conjuncta, deducitur ex errore ejus 19no: *Neque opus, neque voluntas, neque concupiscentia, nec delectatio, quæ movet eam, peccatum est, nec debemus illam extinguere.* Cæterà actus externi in confessione exponi debent, quia alioquin Confessarius volitionem efficacem ab inefficaci discernere non posset. His ipsis censuræ infliguntur, eoquod actus interni efficaciam prodant.

*Inst. 2.* Actus externi prohibentur ut distincti ab actibus internis, ut liquet ex præceptis Decalogi. *Resp.* Prohibentur non ratione sui, sed ratione actus interni: cum enim sint objecta difformia rectæ rationi (quæ sc. in Decalogo prohibentur) sit, ut, qui ista sectatur, & amplectitur, re ipsa legem animo prævaricetur; ex quo ipso capite actus externi merito vetantur. Aliàs præcipiuntur, tum quia maxime serviunt ad rectam gubernationem, & disciplinam externam, atque etiam ad ædificationem aliorum; tum quia actus interni non modò adfectivè, sed etiam effectivè efficaces præcepti sunt. Cæterà actus externi satisfactionem proprie dictam non augent, hæc enim est obsequium offenso voluntariè exhibitum, cujusmodi non est actus exter-

nus. Quamvis augeant fatispassionem, quæ est pe-  
pessio etiam invita pœnæ ob culpam. Laureola  
martyrii equidem non datur nisi subeunti marty-  
rium, quin tamen actus hic externus illam merea-  
tur; neque enim Laureola respondet actuali mar-  
tyrio tamquam merito, sed tamquam conditioni,  
sine qua non obtinetur.

*Obj. VII.* Omnis actus imperatus à voluntate  
est essentialiter liber: sed omnis actus voluntarius  
est imperatus à voluntate. *Resp.* Ille actus dicitur  
propriè imperatus à voluntate, qui ita subjacet im-  
perio voluntatis, ut isto absente non fieret. Jam  
verò actus necessarius ex necessitate antecedente,  
tametsi voluntarius sit, ex tali imperio non proce-  
dit; igitur nec propriè imperatus dici debet.

### Q U A E S T I O III.

*Qua fuerit mens S. Augustini circa libertatem  
in statu natura lapsæ?*

76. **T**ametsi clarissima sint S. Patris testimonia, qui-  
bus liberum hominis lapsi arbitrium explicat,  
ut cum L. 5. de civ. c. 10. *multa nos facere dicit,  
quæ si nollemus, non utique faceremus. Quo pri-  
mitus pertinet & ipsum velle: nam si volumus,  
est; si nolumus, non est: non enim vellemus, si  
nollemus.* Et L. I. *Retract. c. 15. voluntatem  
esse liberam ad faciendum, & ad non faciendum  
animi motum; hæc tamen, & hujusmodi alia ita  
Fanfieniani accipiunt, ut ambo illa, hoc vel illud,  
agere & non agere, seorsim ac separatim, non  
verò conjuncta, libero arbitrio & voluntati subji-  
ciant.*

ciant. Quin eo temeritatis jam pridem provecti sunt, ut S. Augustini doctrinam esse suam vociferentur. Id ipsum ante *Fansenianos* fecere *Calvinus* aliique Hæretici. Et *Calvinus* quidem L. 2. *Inst.* c. 2. §. 4. sic *Augustino* inhæret uni, ut veteres omnes, uno hoc excepto, clamitet in hac re aut variare, aut vacillare, aut perplexè loqui, ut certi fere nihil ex illorum scriptis referre liceat. Et L. 3. contra *Pighium* de lib. arb. inquit: Hinc illa, quam uni *Augustino* præ aliis tribuo, veræ sanæque doctrinæ perspicua, certa, exactaque explicatio: hinc & ille consensus, quem illi nobiscum esse glorior.

S. AUGUSTINUS liberi arbitrii potestatem in natura vitio *Adami* corrupta constanter agnovit. 77.  
 Patet 1<sup>o</sup>. ex controversia, quæ ipsum inter & *Pelagium* intercessit. Contendebat *Pelagius*, ut doceret S. D. in ep. 95. ad *Innocentium* Papam, non solum ad faciendâ, sed etiam ad perficiendâ mandata divina, per liberum arbitrium humanam sibi sufficere naturam. Cui errori ita occurrit S. Pater L. de spir. & lit. c. 3. Nos autem dicimus, humanam voluntatem sic divinitus adjuvari ad faciendam justitiam, ut præter quod creatus est homo cum libero arbitrio voluntatis, præterque doctrinam, qua ei præcipitur, quemadmodum vivere debeat, accipiat Spiritum Sanctum, quo fiat in animo ejus delectatio, dilectioque summi illius atque incommutabilis boni, quod Deus est. Et in ep. 95. Ad non peccandum, inquit, id est ad non malè faciendum, quamvis esse non dubitetur arbitrium voluntatis; tamen ejus potestas non sufficit, nisi adjuvetur infirmitas. De naturali itaque

que potentia, sive de libero arbitrio nullum *Pelagio* negotium fecit *S. AUGUSTINUS*, id unum ab eo postulans, ut damnaret, quod in scriptis suis adfirmaverat, sc. *possibilitatem naturæ ad vincenda peccata, & implenda mandata*; ut fateretur hominem sine gratia sine peccato esse non posse. Hinc cum *Pelagius* (ut refert *S. D. c. 62. L. de nat. & gr.*) *S. Hilarii* dictum attulisset, quo significat hominem esse posse mundo corde; respondet *S. AUGUSTINUS*: *Quid dixerit contra id, quod dicimus, vel quid istum adjuvet, verè nescio, nisi quia posse esse hominem mundo corde testatus est. Quod quis negat? sed gratiâ Dei per Jesum Christum Dominum nostrum, non solâ arbitrii libertate.* Iterum *L. I. de grat. c. 7.* expendens illa *Pelagii* verba: *Deus gratiæ suæ auxilium subministrat, ut, quod per liberum homines facere jubentur arbitrium, faciliùs possint implere per gratiam;* duo tantùm in iis desiderat; alterum, ut ostendat, quam velit intelligi gratiam; ne sc. legem duntaxat adfirmet esse adjuvantem gratiam; deinde ut & facilius tollat. *Tolle facilius, & non solum plenus, verùm etiam sanus est sensus, si ita dicatur, ut, quod per liberum facere homines jubentur arbitrium, possint implere per gratiam.* Cum autem, facilius, additur, adimpletionem boni operis etiam sine *Dei gratia* posse fieri, tacitâ significatione suggeritur. Quòd autem *Pelagius* liberi arbitrii nomine intellexerit naturâ inditam homini facultatem, quæ ad utrumvis oppositum indifferens sit; patet ex verbis ipsius *Pelagii* apud *Augustin. L. de grat. c. 18.* *Habemus possibilitatem utriusque partis à Deo insitam, velut quamdam,*

dam, ut ita dicam, radicem fructiferam atque  
 fœcundam - quæ ex voluntate hominis diversa gi-  
 gnat, & pariat; & quæ possit ad proprii cultu-  
 ris arbitrium, vel nitere flore virtutum, vel sen-  
 tibus horrere vitiorum. Et Julianus apud eum-  
 dem L. 2. Oper. imperf. c. 16. ait peccatum nihil  
 esse aliud, quàm malam voluntatem, cui esset li-  
 berum, ab eo, quòd prave appetiverat, abstinere.  
 Cumque idem Julianus (ut habetur L. 1.  
 contra Julian.) scripserit, voluntatis libertatem  
 eo ipso constare, quòd illo ipso tempore, quo peccat,  
 potestatem habet recedere à malo, & facere bonum;  
 S. P. notionem istam adeo non carpit, ut potius  
 in eandem consentiens, id unum reponat: Ex  
 quo homo incipit uti voluntatis arbitrio, & pec-  
 care, & non peccare potest (Ecce indifferentem  
 sine ulla necessitate potentiam) sed alterum horum  
 non facit nisi adjutus ab eo, qui dixit: Sine me  
 nihil potestis facere; alterum verò propria volun-  
 tas. Iterum S. D. L. 2. de nupt. c. 3. Juliano  
 querenti de Augustini aliorumque Catholicorum im-  
 portunitate quòd, si quis aut liberum in hominibus  
 arbitrium aut Deum esse nascentium conditorem di-  
 xerit, Cælestianus aut Pelagianus vocaretur; S. P.  
 ita respondet: Non est ita, ut loqueris; quicumque ista  
 dixisti: non est ita: falleris, vel fallere meditaris: non  
 liberum negamus arbitrium. Et paullo post: Libe-  
 rum, inquit, in hominibus esse arbitrium, &  
 Deum esse nascentium conditorem, utriusque dici-  
 mus. Non hinc estis Cælestiani, aut Pelagiani.  
 Liberum autem quemquam esse ad agendum bonum  
 sine adjutorio Dei, & non erui parvulos à pote-  
 estate tenebrarum, & sic transferri in regnum  
 Dei

*Dei; hoc vos dicitis. Hinc estis Cælestiani & Pelagiani. Quid obtendis ad fallendum communis dogmatis tegmen, ut operias proprium crimen, unde vobis inditum est nomen? Quid evidentius, S. Doctorem non aliam liberi arbitrii naturam, & essentiam statuisse; quàm quæ à Pelagianis, & similibus Hæreticis adferebatur? hos autem de eadem rectè cum cæteris sensisse, nec ipsi Calvinistæ negant; quin Catholicos idcirco Pelagianos vocant, quòd quantum ad libertatis notionem, cum illis consentiant. Idem L. 2. de duab. animab. c. 11. postquam peccatum definivit, quòd sit voluntas retinendi, vel consequendi, quod justitia vetat, & unde liberum est abstinere; subjungit: Etiamne hi libri obscuri mihi scrutandi erant, unde discerem, neminem vituperatione, suppliciove dignum, qui id non faciat, quod facere non potest? nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poëtæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis? . . . & in orbe terrarum genus humanum? Tum c. 12. Peccati tenere quemquam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insanix; quam ob rem illæ animæ, quidquid faciunt, id est, si libero ad faciendum, & non faciendum animi motu carent, . . . peccatum earum tenere non possumus. Præterea contra Felicem Manich. c. 4. ait: Habet unusquisque in voluntate aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala. Ex quibus omnibus ista colligimus, ex mente S. AUGUSTINI, dari in homine laico liberum arbitrium, quod sit immune non solum à coactione, sed etiam à simplici necessitate, tam arbi-*

absoluta, quàm relativa, quia utraque tollit indifferentiam voluntatis ad opposita; & liberum hujusmodi arbitrium requiri ad merendum, & demerendum.

*Respondetur ad objecta.*

Obj. I. S. AUGUSTINUS L. 3. de lib. arb. c. 3. ait: *Non enim posses aliud sentire esse in potestate nostra, nisi quod, cum volumus, facimus. Quapropter nihil tam in nostra potestate, quàm ipsa voluntas est. Ea enim prorsus nullo intervallo, mox ut volumus, præsto est. Igitur quamvis necessariò aliquid volumus, adeo ut ejus contrarium velle non possimus; liberè tamen volumus; & eo ipso quòd volumus, in nostra potestate est velle.*

Resp. N. C. S. Doctorem per voluntatem intelligere libertatem, quoties de libero arbitrio scripsit, patet ex innumeris ejus locis. Sic L. I. de lib. arb. c. 12 cum dixisset: *Malefacta justitiâ Dei vindicari: non enim justè vindicarentur, nisi fierent voluntate;* in L. Retract. sic exponit: *Vides igitur jam, ut existimo, in voluntate nostra esse constitutum, ut hoc vel fruamur, vel careamus tanto, & tam vero bono. Quid enim tam in voluntate, quàm ipsa voluntas sita est? & paulo post, voluntate nos ait, laudabilem & beatam vitam; voluntate turpem & miseram mereri, ac degere.* Item L. I. cit c. 13. *Ex quo conficitur, ut, quisquis rectè honesteque vult vivere, si id sic velle præ fugacibus rebus velit, assequatur tantam rem tantâ facilitate; ut nihil aliud ei, quàm ipsum velle, sit habere, quod voluit.* Licet igitur c. 3. cit. unam duntaxat oppositionis partem commemoret, idque in potestate esse dicat, quod, cum  
volu-

volumus, facimus; hanc tamen alteram: *non facimus, si nolimus*, subintelligit, & sæpe aliàs disertè exprimit, veluti cùm L. de *prædestin. Sanct.* ait, *credere, vel non credere esse in arbitrio voluntatis humanæ*; & L. contra *Felicem*, *peccare quemque, si velit; non peccare, si nolit*. Et, qui *legem servare non vult, in potestate ejus esse servare, si velit*. Generatim non dicimus in potestate nostra esse, quod necessariò facimus, quia potestas duo quædam invicem opposita includit, circa quæ libera est, & indifferens eligendi facultas. Sic enim ipse S. P. L. 3. de *lib. arb.* c. 18. *Quis peccat in eo; quod nullo modo caveri potest? peccatur autem; caveri igitur potest*. Et rursus L. de *nat. & grat.* c. 47. cùm *Pelagius* dixisset, *posse videre, sive possibilitatem videndi, potestatis nostræ non esse, sed in naturali necessitate consistere*; S. D. reponit: *Quomodo in potestate nostra non est videndi possibilitas, si in potestate nostra est non videndi necessitas? quia in potestate est cæcitas; qua id ipsum videre posse, nobis, si volumus, adimamus? ubi possibilitatem videndi defendit esse in nostra potestate, quia contrarium illius, non posse videre, in nostra est potestate; possemus enim nos excæcare*. Item L. de *spir. & lit.* ad *Marcellinum* dicit esse potestatem, *ubi voluntati adjacet facultas faciendi*. Unde hoc quisque in potestate habere dicitur, quod, *si vult, facit, si non vult, non facit*.

*Inst.* I. S. D. L. 2. de *duab. animab.* c. 10. peccatum dicit esse *animi motum, cogente nullo; ergo*. Resp. S. P. more aliorum PP. *τὸ cogi in sensu largiore accipit, pro quavis sc. necessitate, idque*

idque manifestum fit ex illis, quæ contra *Manichæos* disputavit: hi enim cùm dicerent malum ex naturæ malæ propensione oriri, eos redarguit hac ratione; quodsi necessariò (cujusmodi illud est, quod naturali inclinatione fit) homo peccatum facit, non peccat, quia, quod debet, facit. *Si enim hoc debet quisque, quod accepit, & sic homo factus est* (inquit L. 3. de lib. arb. c. 16.) *ut necessariò peccet, hoc debet, ut peccet. Cùm ergo peccat, quod debet, facit. Quod si scelus est dicere, neminem naturæ suæ cogit, ut peccet.* Quo in loco certum est, quòd S. P. τὸ cogit, in sensu largiore acceperit, natura enim neminem cogit, quia coactio est vis ab extrinseco principio illata.

*Inst. 2. S. P. in Enchirid. ad Laurentium c. 30. ait: Libero arbitrio malè utens homo, & se perdidit, & ipsum. Sicut enim qui se occidit, utique vivendo se occidit; sed se occidendo non vivit, nec se ipsum potest resuscitare, cùm occiderit; ita cùm libero peccaretur arbitrio, victore peccato amissum est & liberum arbitrium. Et ep. 107. Liberum, inquit, arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus. Ergo. Resp. Idem L. 1. ad Bonifacium c. 2. Liberum, inquit, arbitrium usque adeo in peccatore non periit, ut per illud peccent maximè omnes, qui cum delectatione peccant; & amore peccati hoc eis placet, quod eis libet.* Sub variis igitur notionibus S. P. liberum arbitrium exposuit; aliàs ejusdem nomine intelligit naturalem voluntatis facultatem, qua eligere utrumvis oppositorum queat, seque ad unum determinare absque omni necessitate. Aliàs significat statum quemdam illius facultatis solutum,

&

& expeditum ab impedimentis, quæ laudabilem illius & honestam functionem interpellant, & invitum plerumque hominem ad id, quod suave est, à decore rectoque abstrahunt. Quod cum fit, quædam servitus est & captivitas, qua aut sponte illigata detinetur hominis voluntas, uti in vitiis & pravis habitibus evenit; vel etiam renitens, & invita, ut cum homo gratiâ præventus, & excitatus ad saniora sese convertere parat. Itaque homo libero arbitrio malè utens & se perdidit, & ipsum, *h. e.* felicem illum libertatis statum amisit, in quo illa ab impedimentis omnibus soluta, sub gratiæ divinæ adjutorio facillimè bonum eligebat, cum post peccatum & voluntas in malum amplius propendeat, nec medicam in bono faciendo sentiat difficultatem. Hinc in *ep.* 89. *Pelagianos* liberum arbitrium à natura insitum immodicè jactantes hisce compescit: *Desinant ergo sic insanire, & ad hoc se intelligant habere, quantum possunt, liberum arbitrium, non ut superbâ voluntate respuant adjutorium; sed ut piâ voluntate invocent Dominum. Hac enim voluntas libera, tanto erit liberior, quanto sanior: tanto autem sanior, quanto divina misericordiæ gratiæque subjectior.* Et mox: *Quomodo enim libera est, cui dominatur iniquitas?* & in *ep.* 90. *Quia & ipsum, inquit, nostræ voluntatis arbitrium verè fit liberum, dum à carnalium concupiscentiarum dominatione liberatur.* Nempe homo peccando fit servus peccati: & primi parentis peccato factum est, ut à concupiscentiis nostris veluti captivi detineremur. *A quo enim quis devictus est (inquit S. D. c. 30. Enchir. sit.) huic & servus addictus est.* Petri certè Apostoli

foli est ista sententia. Quæ cum vera sit, qualis quæso potest servi addicti esse libertas, nisi quando eum peccare delectat? liberaliter enim servit, qui domini sui voluntatem libenter facit: ac per hoc ad peccandum liber est, qui peccati servus est. Unde ad justè faciendum liber non erit, nisi à peccato (per gratiam Dei) liberatus, esse justitiæ cæperit servus. Ipsa est vera libertas propter rectè facti licentiam. Sed ista libertas ad benefaciendum unde erit homini addicto, & vendito, nisi redimet ille, cujus illa vox est: Si vos Filius liberaverit, tunc verè liberi eritis? Similia scribit I. 14. de civ. c. 11. Arbitrium igitur voluntatis tum est verè liberum, cum vitis peccatisque non servit. Tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Rursus L. 1. ad Bonifat. c. 2. ait: Quis nostrum dicat, quòd primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in Paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam: propter quod natura humana diviniâ indiget gratiâ.

Inst. 3. S. P. Juliano opponenti peccati definitionem, quam in suis ipse libris dederat, quòd sit voluntas retinendæ, & admittendæ, quòd justitia vetat, & unde liberum est abstinere; respondet: istam definitionem peccati ejus esse, quòd peccatum tantummodo est, non quòd etiam pœna peccati, quia periit libertas non peccandi. Et paullo post; Multum erras, qui vel necessitatem nullam putas esse peccandi, vel eam non intelligis illius peccati esse pœnam, quòd nullâ necessitate commissum est.

Ergo. Similiter in L. de perfectione justit. contra Cælestium, cum Hæreticus iste sic interrogasset: *Per quid efficitur homo cum peccato, per naturæ necessitatem, an per arbitrii libertatem? Respondetur, inquit, per arbitrii libertatem factum, ut esset homo cum peccato: sed jam pœnalis vitiositas subsequuta, ex libertate fecit necessitatem.* Resp. In priore loco S. P. non essentiam, sed statum utriusque libertatis, sc. in statu naturæ innocentis & lapsæ distinguit, aitque homini innocenti liberum fuisse à peccato abstinere, in quantum & liberum arbitrium habuit, & gratiam, quæ illud maximè perficit, & roborat; atque etiam immunitatem à concupiscentia, quæ voluntatem quodam modo captivat. Cùm contra in statu naturæ lapsæ sublatum sit plenum perfectumque voluntatis æquilibrium tum per concupiscentiam, quæ nos ad malum inclinât, tum per amissionem gratiæ, sine qua nec bonum salutare operari possimus, nec à peccatis diu abstinere. Atque ita differuit S. D. adversus *Julianum*, ut necessitatem gratiæ, quam is cum suis *Pelagianis* negabat, ostenderet: Addit enim: *Adam quippe omnino quando peccavit, nihil in se habebat mali, quo nolens urgeretur ad operandum malum; & propter quod diceret: Non quod volo, facio bonum, sed quod nolo malum, hoc ago. Ac per hoc id egit, quod justitia vetat, & unde illi liberum fuerat abstinere. Nunc ei qui dicit: quod nolo malum, hoc ago, abstinere inde liberum non est.* In 2do textu non intelligit necessitatem simplicem & absolutam, qua voluntas hominis lapsi ad unum determinata sit; sed quamdam solum difficultatem, quam quisque

quisque experitur in faciendo bono, aut peccato fugiendo, h. e. necessitatem quamdam moralem, quam in L. contra *Fortunatum* Manich. comparat cum illa necessitate, quæ ex consuetudine fluit: cum ait: *Potest autem unusquisque nostrum mediocri consideratione invenire, verum esse, quod dico. Hodie namque in nostris actionibus, antequam consuetudine aliqua implicemur, liberum habemus arbitrium faciendi aliquid vel non faciendi. Cum autem istâ libertate fecerimus aliquid, & facti ipsius tenuerit animum perniciofa dulcedo, & voluptas eadem ipsâ consuetudine sic implicatur, ut postea vincere non possit, quod sibi ipsa peccando fabricata est.* Hanc peccandi necessitatem ex consuetudine ortam S. THOMAS q. 6. de malo a. un. ad 24. cum sibi objecisset illud *Augustini* in Confessionibus: *Et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas, ita explicat: Dicendum, quod consuetudo facit necessitatem, non simpliciter, sed in repentinis præcipue. Nam ex deliberatione quantumcunque consuetus, potest contra consuetudinem agere.*

Obj. II. S. P. in ep. 144. ad *Anastasium* ait: *Quod sine gratia Dei nullo modo voluntas implet mandata, quia nec libera dicenda est, quamdiu est vincens cupiditatibus subdita: à quo enim quis devictus est, huic & servus addictus est.* Et L. I. *Retract.* c. 15. *Qui cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, & ideo facit contra præcepta justitiæ; jam hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati.* Igitur negat esse in homine liberum arbitrium, antequam per gratiam liberetur; proinde libero exutus est arbitrio peccator,

tor; & necessitate peccat. *Resp.* Loquitur de Libertate à peccato, non autem de libertate à necessitate: & fatentur Orthodoxi omnes, sine gratia hominem non esse liberum à peccato, & voluntatem eatenus esse liberam, quatenus est liberata. Manet tamen sine gratia libertas à necessitate, quamvis ad bonum non sufficiat, nisi adjuvetur per gratiam. Dum vero ait, cogenti voluptati resisti interdum non posse; loquitur de potestate proxima, & ultimo completa, qualem non habet homo ad graviores vincendas tentationes sine gratia; nec cum gratia remotè sufficiente; nisi accesserit gratia proximè sufficiens. Quo sensu loquitur L. de grat. & lib. arb. c. 17. *Qui vult facere Dei mandatum, & non potest; jam quidem habet voluntatem bonam, sed adhuc parvam & invalidam: poterit autem; cum magnam habuerit, & robustam.* Et L. de perfect. just. c. 10. *Non aliam ob causam Scriptura commemorat, non esse gravia divina præcepta, nisi ut anima, quæ illa gravia sentit, intelligat se nondum accepisse vires, quibus talia sint præcepta, qualia commendantur, levia scilicet, atque suavia; & oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facultatis.*

*Inst.* Homo sine gratia nequit operari bonum; igitur libero ad bonum arbitrio destitutus est. *Resp.* Homo sine gratia nequit operari bonum absolute. Nequit potentiâ proximâ & ultimò completâ. *C.* *Voluntas libera tanto erit liberior, quanto sanior; tanto autem sanior, quanto divinæ misericordiae gratiaque subjectior.*

a) Quodd

α) Quòd S. AUGUSTINUS liberum arbitrium saepe aliter, ac naturalem hominis facultatem expresserit; *Pelagianorum* gratiâ fecit. Cum enim tota illum inter & *Pelagianos* contentio in eo versaretur, quòd *Pelagius* sic liberum à natura datum homini arbitrium putaret, ut per sese, nec ullis aliis, nisi naturalibus viribus egens, tam bonum, quàm malum amplecti posset; S. P. ex oppositò contendebat liberum arbitrium primi parentis, ita fractum debilitatumque esse peccato, ut soli sibi relictum, nihil nisi malum eligere, & operari queat, bonum vero salutare non nisi per Christi gratiam facere. Itaque inter illos de naturali voluntatis p. testate quaestio mota non est, sed solum de integritate virium ad agendum; & S. D. Cum adversus illos Hæreticos pugnans, liberum in homine arbitrium mansisse negat, qualitatem illius, & conditionem intelligit, non verò potentiam & facultatem, *liberum* dicendo, quod non est captivum, nec peccati & concupiscentiæ nexibus irretitum.

β) Non desunt ex TT., qui præter indifferentiam iudicii, ad libertatem etiam prærequirant iudicium, sive imperium practicum, per quod intellectus determinatè voluntati proponat, hoc vel illud hic & nunc eligendum esse. Hujus tamen imperii practici distincti ab ipsa vi determinativa voluntatis nulla videtur esse necessitas: ad quid enim, cum voluntas præhabitis omnibus ad agendum prærequisitis sit facultas ejusmodi, quæ ad hoc vel illud se possit determinare? & hoc ipsum iudicium practicum debet esse subiectum libertati voluntatis, alioquin libera non esset voluntas, cum unum præ altero eligit. Aliud est de distamine ultimo practico de liceitate actionis: istud enim non tam ad libertatem, quàm ad honestatem actûs prærequiritur.

## CAPUT III.

*De Moralitate actus humani, & de regula moralitatis.*

**E**x voluntario, & libero physica actus huma- 78.  
ni natura desumitur; nam inde actus Mo-

rali-  
 tas  
 actus  
 hu-  
 mani.

*humanus* dicitur, quod voluntariè, ac liberè, *h. e.* præviâ deliberatione, & maturo iudicio ponatur; cùm contra *actus hominis* indeliberatè prorsus, & inadvertenter fiat. Actio *physicè bona* censetur, quæ ad perfectionem, & felicitatem, sive propriam agentis, sive aliorum confert. Actio *physicè mala* est, quæ vel agenti, vel aliis incommodum adfert. Actio *physicè indifferens* vocatur, quæ neque auget, neque minuet suam vel aliorum seu perfectionem, seu felicitatem. Bonitas itaque actionis *physica* est ejus utilitas. quæ varios gradus habet. Deinceps moralitatem, sive moralem actûs humani naturam considerabimus, qua nempe in genere *moris* actus dicitur bonus, vel malus, laude aut vituperio dignus. Dicitur autem *actus moralis*, qui voluntariè, & liberè, ac cum advertentia rationis ad aliquam morum regulam ab homine procedit.

## §. I.

*De Moralitate actûs humani.*

79.  
 Prin-  
 cipia  
 mora-  
 lita-  
 tis.

Duo moralitatis principia statuit SUARESIUS, *liberam* nempe *voluntatis operationem*, & *intellectûs advertentiam*. "De ratione actûs moralis (inquit *Sect. 2. disp. I. tract. 2*) est, ut sit per se, & intrinsecè voluntarius. Hoc autem voluntarium ut sit perfectum, indiget perfectâ advertentiâ rationis, quæ in actu non ponit aliquid præter entitatem ejus, sed solum directionem quamdam, à qua denominatur actus cum advertentia, seu perfecto modo factus. Ut si quis voluntariè, & ex directione artis fingat monstrum; actio est artificiosa. Si verò volens

lens depingere hominem, casu depingit monstrum; actio non est artificiosa, sed deficiens ab arte; & tamen si consideretur physicè actio ipsa, eodem prorsus motu physico perficitur." Itaque moralitas actus physicè, & secundum se est ipse actus ab homine libere, & advertenter positus, ita, ut ratio moralitatis constituatur tum per voluntatis libertatem, tum per advertentiam rationis: quorum alterutro deficiente ipsa deficit moralitas. *Habet actus humanus, quòd sit malus, ex eo, quòd caret debitâ commensuratione.* Omnis autem commensuratio cujuscunque rei attenditur per comparisonem ad aliquam regulam, à qua si divertat, incommensurata erit. Ita S. THOMAS I. 2. q. 71. a. 6. Ceterà utrum libertatem prærequisitum dixeris, an constitutivum moralitatis; nobis perinde est.

Actus moralis dividitur in *bonum*, & *malum*: 80. prior habetur, cùm voluntas agit conformiter ad regulam morum, v. g. ea præstando officia, quæ Deo, sibi, & proximo debet. Actus moraliter malus est, quodcumque voluntas deliberate agens à regula morum deflectit. Sicut autem libertas, sic etiam moralitas, *h. e.* bonitas, vel malitia moralis propriè, formaliter, & immediatè est in ipsis actibus internis, in externis verò non nisi denominativè. Quocirca mores in ipsius animi motibus actibusque potissimum consistunt, à quibus actiones externæ bonitatem, aut malitiam suam mutuuntur. Utrorumque actuum, tam inquam externorum duplex bonitas, vel malitia distingui solet, *objectiva*, & *formalis*. Illa consistit in conformitate objecti, circa quod actus versatur, vel in difformitate ejusdem cum aliqua perfectione divina, unde

de exigit præcipi, aut prohiberi à Deo. Sic amor Dei ante omnem legem habet bonitatem objectivam, quia divinis perfectionibus vel maximè conformis est, adeo ut suppositâ naturæ rationalis creatione, eidem non possit non imperari. Sic mendacium malitiam objectivam habet, quia divinæ veracitati adversatur, ideoque exigit prohiberi. Cùm verò non omnia objecta ex natura sua sint ejusmodi, quæ ex se aut præcipi exigant, aut prohiberi; sequitur bonitatem hanc, aut malitiam objectivam minùs extensam esse præ bonitate, aut malitia *formali*, quæ sita est in ordine, aut respectu, quem actus ipse humanus dicit ad legem præcipientem, vel prohibentem: nam omnis actus, etiam ex objecto indifferens, dicitur bonus aut malus moraliter, inquantum fit juxta, aut contra legem Dei.

a) *Wolfius in Philos. pract. univ. demonstrata metho- do geom. à §. 49. ut constituat honestatem actuum libero- rum, hæc ponit theoremata: Actiones liberae bonæ per eas- dem rationes finales determinantur, per quas determinan- tur naturales; mala autem per diversas. Si actiones libe- ræ per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales, bonæ sunt; si verò determinan- tur per diversas, mala sunt. Quod quidem principium ipse vocat fecundissimum in Philosophia præctica, utpote cui reliqua innitantur legis naturalis principia ab ipso po- sita. Nam §. 179. disertè ait: Determinatio actionum li- berarum per easdem rationes finales, per quas determi- nantur naturales, non verò per diversas; est principium cognoscendi legum naturalium, omnisque Juris naturalis. Et supra §. 154. dixerat: Lex naturæ nos obligat ad deter- minandum actiones liberas per easdem rationes finales, per quas determinantur naturales, non verò per diversas, sed ad non determinandum per diversas. Unde infert §. seq. Qui actiones suas determinat per easdem rationes finales, per quas naturales determinantur, legem naturæ servat; qui*

qui verò determinat per rationes diversas ab iis, per quas determinantur naturales legem naturæ transgreditur. Proinde tota vis honestatis ponitur à *Wolffio* in conformitate actionis liberæ cum ratione finali, determinante actionem naturalem. Si quæris ex eodem: quis tandem sit ille finis actionem naturalem determinans? respondet esse finem à Deo intentum; sic enim habet in *Theol. nat. p. 1. c. 4. §. 648.* & in *Phil. pract. §. 46.* Qui porro sint fines rerum naturalium à Deo intenti, docet §. 46. cit. *Usus facultatum animæ, & organorum corporis sunt fines à Deo intenti: etenim usus rerum naturalium omnium sunt fines à Deo intenti. Quoniam igitur in harum numero sunt etiam facultates animæ, & organa corporis humani; quin eorundem quoque usus sunt fines à Deo intenti, dubitari nequit.* Si quæris ulterius; qui sint usus, quos habent vel singillatim, vel conjunctim organa corporis, & facultates animæ? §. 45. ita scribit: *Sensus hunc habent usum, ut eorum quæ sunt, ac fiunt in universo, cognitionem adquiramus. Quodsi igitur animus quidpiam, ut cognitionem cujusdam, quod in universo est, vel contingit, nobis adquiramus sensu duce; cognitio ista finis est, quem intendimus. Similiter organa vitalia simul sumpta hunc habent usum, ut eorum functionibus vita conservetur. Quando igitur vitæ conservanda gratiâ quid facimus, & functiones organorum vitalium eò dirigimus; conservatio vitæ finis nostræ actionis est. Qui usus est ex parte rei, veluti ex parte sensuum, & organorum vitalium; finis est ex parte agentis, qui liberâ voluntatis determinatione usus istius compos fieri desiderat. Si denique ex *Wolffio* petis; an usus prædictus sensuum corporis, & facultatum animæ sit finis à Deo intentus? §. 46. cit. clarissimè sic loquitur: *Cognitio eorum, (quæ sunt, ac fiunt in universo, sibi adquirenda, & conservatio corporis sunt fines, quos Deus intendit, dum hominem produxit, cui insunt sensus, & organa sensoria, atque vitalia. Unde §. 47. veluti concludit: Si agens ideo agit, ut eum, quem habere possunt usum facultates animæ, & organa corporis, actu consequatur; actiones liberæ per easdem rationes finales determinantur, per quas determinantur naturales: si verò quid ab eo diversum intendit; actiones liberæ determinantur per rationes**

O §

fina

*finales diversas ab iis, per quas determinantur naturales.* Igitur ex mente *Wolfii* non alia est honestatis regula in actionibus liberis hominum, nisi ducta ab usu sensuum corporis, & facultatum animæ, qui vitæ conservationem respiciat. Sed num pejorem statuere *Epicurus* poterat? quid enim? usus talis organorum corporis, & facultatum animæ an nunquam legi divinæ erunt diffformes? nihilne inhonestum, quod ad vitæ conservationem faciat? at excipiet aliquis: honestatis regulam in usu non quocunque, sed bono organorum, animæque facultatum à *Wolfio* constitutam esse. Verùm eone tandem recidat longissimum *Wolfii* systema: eas esse actiones honestas, quas agens producit usu bono organorum, animæque facultatum; eas verò inhonestas esse, quas usu malo efficiet? cur *Wolfus* ipse ita distinguere neglexit? quorsum istud Autoris §. 21, *Naturâ obligamur ad comparationem honoris, jucunditatis, rerum externarum?*

β) Quid jam commemorem de impiis systematibus, quæ *Benedictus Spinosus* & *Hobbesius* excogitarunt? & prior quidem in tract. theol. polit. c. 16 & p. 4. Ethices proposit. 18. in Schol. ait: Hoc principium, quod unusquisque suum utile querere tenetur, virtutis & pietatis est fundamentum. Et prop. 46. in Schol. has evomit horrendas blasphemias: *Nihil nisi torva, & tristis superstitio delectari prohibet, nam qui magis decet famem, & sitim extinguere, quàm melancholiam expellere? mea hæc est ratio, & sic animum induxi meum. Nullum Nunen, nec alius nisi invidus, meâ impotentia & incommodo delectatur, nec nobis lacrymas, singultus, metum, & alia hujusmodi, quæ animi impotentis sunt signa, virtuti ducit; sed contra, quo majore lætitiâ adficimur, eo ad majorem perfectionem transimus, hoc est, eo magis de natura divina participare, necesse est. Rebus itaque uti, & iis, quantum fieri potest, delectari (non quidem ad nauseam usque nam hoc delectari non est) viri est sapientis. Non dissimilia statuit *Thomas Hobbes* in suo *L. Leviathan*, seu de Republica c. 15. *Fundamentum omnium Legum naturalium Naturæ est conservatio.* Et c. 27. *Siquis tamen Bona, servos, uxorem videns proximi sui, frui illis cum delectatione imaginatus tantum fuerit, absque omni intentione, vel**

con-

consilio per fraudem, aut vim ea occupandi, peccatum non est, neque præcepti. NON CONCUPISCES, violatio. Nam jucundi etiam imaginatione delectari ita homini naturale est, ut lex, quæ id prohiberet, etiam hominem esse prohiberet. An meliores sibi magistros optare poterant nostri temporis Theistæ, & Libertini?

Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu: certum est apud TT. effatum. Ut igitur actus sit honestus, sive moraliter bonus, necesse est, ut, quæcunque ad actum pertinent, à morum regula non dissentiant. Proinde requiritur 1<sup>o</sup>. ut objectum, circa quod actus versantur, aut quod voluntas, cum agit, respicit, sit regulis morum consentaneum; aut saltem ejusmodi, ut ab agente morum regulis subjiciatur, si nempe ex natura sua bonitatem objectivam non habeat. Dantur enim objecta, quæ ex se neque bona sunt, neque mala moraliter, veluti *ambulatio, scriptio, &c.* 2<sup>o</sup>. *Finis* sit bonus, ad quem sc. actus ordinatur. & quidem actus morales cum præcipue ab intentione dependeant, bonitatem vel malitiam suam maximè desumunt ex fine, adeo ut juxta S. Thomam q. 18. a. 6. qui furatur, ut adulterium committat, *magis adulter sit, quàm fur.* Duplex autem finis distinguitur: alius *intrinsicus*, qui etiam *finis operis* dici consuevit, ad quem actus ex natura sua ordinatur, ut dare eleemosynam ad sublevandum pauperem; alius *extrinsecus*, sive *operantis*, quem sibi operans ex arbitrio suo præfigit; veluti cum parcè vivis, ut eleemosynam dare queas; actus hic ex fine intrinseco erit actus temperantiæ; ex fine extrinseco actus misericordiæ; erit quoque actus obedientiæ, si intendas, ut præcepto Evangelico obedias. 3<sup>o</sup>. Nulla *circumstantia* debet esse mala.

Dicun-

81.  
Re-  
quisi-  
ta ad  
hone-  
sta-  
tem  
actus.

Dicuntur autem *circumstantiæ morales*, quæ actum in genere moris comitantur, veluti *tempus*, *locus*, *conditio operantis*, & similes hoc versu expressæ: *Quis*, *quid*, *ubi*, *quibus auxiliis*, *cur*, *quomodo*, *quando*. Ubi *Quis* non denotat nudam personam, sed qualitatem, statum, conditionem, ætatem personæ sive facientis aliquid, sive patientis: nempe si aut sacris ordinibus initiatus, aut nulli voto obnoxius contra castitatem peccaverit. *Quid* magnitudinem, aut parvitatem, multitudinem aut paucitatem denotat, uti furtum decem denariorum, aut decem nummorum aureorum. *Ubi* non locum simpliciter, sed eundem qualitate adfectum, sacrum videlicet, aut non sacrum: sic furtum in loco sacro sacrilegium est. *Quibus auxiliis*, h. e. quo instrumento, quo medio, quo socio. *Cur*, quo fine extrinseco actio fiat, puta si quis occiderit furti, vel vindictæ gratia. *Quomodo* non significat modum actui essentialem in genere morali, sed actûs boni vel mali qualitatem, uti intensè, vel remissè, destinatâ operâ, vel casu, cum aut sine mora. *Quando* non simpliciter tempus significat, sed quamdam ejus conditionem, puta dominicæ, aut festæ diei.

2) Sequitur ex his 10. Actum de se bonum fieri moraliter malum ex fine malo, ut si quis bonum opus unicè faciat, ut *Phariseorum* more videatur ab hominibus. 20. Actum ex objecto malum sumere novam malitiam ex malo fine, veluti si quis furtum committit, ut indulgere potius intemperantiæ possit. 30. Actum de se malum nullam recipere bonitatem ex fine bono, uti quando quis furatur, ut sublevet pauperem. 4to. Eundem actum plures virtualiter bonitates, aut malitias continere, cum vel objectum,

ctum, vel finis, vel circumstantiæ faciunt, ut pluribus legibus formaliter diversis con aut difformis sit. Sic qui furatur, ut fornicetur, duplicem contrahit malitiæ speciem, sc. furti ex objecto, fornicationis autem ex fine. 6to. Si actio de se indifferens sit; tota ejus bonitas, vel malitia ex fine operantis dependet. Similiter actus virtutum moralium (secus est de actibus virtutum theologicarum, quia hi per se hominem cum Deo conjungunt) ut boni moraliter sint, & laude ac premio digni, requiritur, ut operans ipsam honestatem saltem *exercitè* intendat. Unde etsi cognoscas honestum esse, eleemosynis sublevare pauperem, & ipsi aliquid porrigas, non ideo agis laudabiliter, nisi *exercitè* intendas honestatem ex hac pauperis sublevatione relucens, ab eaque ad eleemosynam largiendam movearis. Hinc S. AUGUSTINUS in *1. f. 31. Bonum opus, inquit, intentio facit. Non valde attendas, quid homo faciat, sed quid, cum facit, aspiciat.*

δ) Circumstantia quamvis extra substantiam actus posita sit, illum tamen variè adficit. Alia est *pure physica*, quæ nec auget, nec minuit bonitatem, vel malitiam moralem actus, ut si quis alium interficiat dextrâ, vel sinistra manu. Alia circumstantiæ sunt *morales*, quæ actus moralitatem adficiunt. Ex his alia dicuntur *aggravantes* tantum, vel *minuentes* intra eandem objecti speciem. Alia speciem peccati mutant; sic in furto rei sacræ peccatur contra justitiam, & contra religionem. Hæ nimirum circumstantiæ transeunt in objecta, adeo, ut quod actionis externæ circumstantia dicitur, sit objectum actus interni; ideoque actionem in nova specie constituit. Aliquando circumstantiæ bonitatem moralem objectivam actus omnino destruunt. Sic redditio debiti conjugalitatis in loco sacro non amplius est opus justitiæ, sed sacrilegium.

ε) Actus ut moraliter malus sit, necesse non est; ut quis malitiam directè intendat; sed sufficit eandem indirectè, virtualiter, & implicitè esse volitam: quia quisquis peccat, vix unquam eo malitiæ provectus est, ut ipsam malitiam objectivam intendat, statuendo intra se: volo hoc objectum, quia lege divina prohibitum est. Sufficit itaque appetere rem ejusmodi, cui videt malitiam esse adnexam. Ex opposito ut actus sit naturaliter bonus requiritur, ut  
ipsa

ipsa honestas per se, & directe intendatur, tum quia plus requiritur ad opus bonum, utpote perfectivum hominis, cum actus malus non sit nisi defectus; tum quia honestas per se, & directe intendi potest, non item inhonestas, cum homo etiam ex malitia peccans in objecto quamdam delectabilitatem, vel utilitatem sibi fingat.

§2. Actus humanus dicitur indifferens vel quoad  
 Actus *speciem*, vel *in individuo*; prout nempe conside-  
 indif- ratur vel precise in se tantum, & ratione objecti;  
 ferens vel prout est in operante, & una simul complecti-  
 tur finem, & circumstantias. Qui quidem actus  
 in individuo erit *per se* indifferens, si nullam lege  
 preceptus sit, aut prohibitus; *per accidens* vero,  
 si tantum permixtus est supposito aliquo errore, aut  
 ignorantia. Dari actus humanos (de actibus enim  
 indeliberatis certum est, illos nec positivè honestos,  
 nec inhonestos esse ex defectu libertatis, & adver-  
 tentiæ ad regulam morum) ex sua specie, sive quoad  
 objectum precise consideratos, moraliter indiffe-  
 rentes; communissima TT. sententia est. *Sunt*  
*quædam facta media* (inquit S. AUGUSTINUS L. 2.  
*de Serm. Dom. in monte c. 18.) quæ possunt bono,*  
*vel malo animo fieri, de quibus judicare temera-*  
*rium est.* Et S. HIERONYMUS ep. 89. *Bonum est*  
*continentia, malum est luxuria, inter utrumque*  
*indifferens ambulare.* Et cur dari nequeant actus  
 morales, qui spectato precise objecto materiali nec  
 precepti sint, nec prohibiti, sed merè permixti?  
 hujusmodi certè sunt *ambulare, fricare manus,*  
*abigere muscas, & similes.* Esto, objectum mo-  
 tivum, quod actus internus semper respicit præter  
 objectum terminativum, nunquam non honestum  
 sit, aut inhonestum; num ideo actus secundum obje-  
 ctum

Cum materiale præcisè spectatus indifferens non est?  
 2<sup>o</sup>. Dari posse actum aliquem in individuo bonum,  
 qui tamen nec meritorius sit, neque demeritorius,  
 adeoque indifferentem ad præmium & finem super-  
 naturalem, nemo Catholicorum facilè negat, præ-  
 fertim post varias propositiones *Baji* damnatas, in-  
 ter quas 25. sic habet: *Omnia opera Infidelium*  
*sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vi-*  
*tia.* 27. *Liberum arbitrium sine gratia Dei*  
*non nisi ad peccandum valet.* 37. *Cum Pelagio*  
*sentit, qui boni aliquid naturalis, id est, quod*  
*ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.*  
 Et 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apo-*  
*stoli ad Rom. 2.* Gentes, quæ legem non habent,  
 naturaliter, quæ legis sunt, faciunt, *intelligunt*  
*de Gentibus Fidei gratiam non habentibus.* Det  
 Infidelis eleemosynam ex motivo misericordiæ: hic  
 certè actus moraliter bonus est ex objecto, fine &  
 circumstantiis, quin præmium supernaturale me-  
 reatur, quin tamen etiam peccaminosus sit. 3<sup>o</sup>. Non  
 posse dari actum indifferentem in individuo relatè  
 ad honestatem naturalem, nisi tantum *per accidens*,  
 fatentur plurimi: nam homo deliberatè agens re-  
 spicit finem naturæ rationali aut consentaneum,  
 aut difforem: si prius; est actus moraliter bonus.  
 Si 2<sup>dum</sup>: jam actus moralem inhonestatem habet.  
 Nimirum recta ratio dicit, ut creatura intellectu  
 & voluntate prædita, quodcumque cum delibera-  
 tione & consilio agit, servitutis suæ memor in glo-  
 riam Conditoris operetur omnia, atque ad illum  
 tamquam in finem ultimum singulas actiones refe-  
 rat. Et sicut Deus ita est finis hominum ultimus,  
 ut nefas sit in quacumque re creata ultimò conque-  
 scere;

scere; sic debitus creaturæ ad Creatorem ordo postulat, ut se suaque omnia in hunc ipsum finem sollicitè disponat. Certè nihil magis sana ratio dicit, nisi ut homo debitè sese habeat ad Deum, ad semetipsum, & proximum suum: quæ quidem obligatio ita cujusvis hominis deliberatè agentis animum occupat, ut post evagationem rediens ad se animus errorem, si quem admisit, continuò agnoscat, nec sine poenitudine in semet ipso reprehendat. Nam semper nosmet ipsos, nostrasque actiones judicamus. Siquidem innatâ quadam vi, quæ ex arbitrio minimè pendet, nos ipsos approbamus, vel condemnamus, non minùs, atque actiones illæ, quæ ad alios spectant, semper ab aliis dijudicantur, eorumque vel approbationem referunt, vel condemnationem, eo effectû, ut eorum provocent etiam vel amorem, ex quo adfectu ad bene faciendum nobis propensi sunt; vel contemptum & indignationem excitent, quibus ad nos malè, excipiendos inclinantur. Denique naturæ Autor Deus non potuit non operari omnia propter semet ipsum; igitur necessariò voluit, ut quoque rationalis creatura deliberatè agens ad Deum ultimatò referret omnia: quod ubi homo præstat, juxta legem naturalem sibi innatam operatur, ideoque honestè; si secus, legem violat, & inhonestatis reus evadit.

2) In omni humana actione tria menti obversantur, objectum, finis, & circumstantia, quæ si bona sint, & cum dictatu rationis congruant, necesse est, ut actio sit moraliter bona; si vel unum ex his tribus non consentiat regule, actio manifeste mala est. Quocirca Stoici statuebant: *nisi ratio jubeat, digitum exereus peccas.* Unde & S. THOMAS 1. 2. q. 18. a. 9. Oportet, inquit, quod quilibet

bet individualis actus habeat aliquam eorum circumstantiam, per quam trahatur ad bonum, vel malum, ad utrumque ex parte intentionis finis. Cum enim rationis sit ordinare, actus à ratione deliberativa procedens, si non sit ad debitum finem ordinatus, ex hoc ipso repugnat rationi, & habet rationem mali. Si vero ordinetur ad debitum finem, convenit cum ordine rationis, unde habet notionem boni; necesse est autem, quòd vel ordinetur, vel non ordinetur ad debitum finem; unde necesse est omnem actum hominis à deliberativa ratione procedentem in individuo consideratum bonum esse, vel malum. Sufficit tamen, actum quemlibet deliberatum virtualiter saltem & exercitè referri ad Deum finem ultimum, ut adeo agrotus v. g. honestè agat, sumendo medicinam, ut pristinam valetudinem recuperet, quam pro habituali animi sui dispositione ad gloriam divinam refert. Sic etiam quisquis propter relucentem ex aliqua actione honestatem agit, eo ipso censetur respicere Deum tamquam omnis honestatis fontem, aut regulam.

n) Dari legem naturalem, qua homo deliberatè agens teneatur referre omnes suas actiones ad Deum finem ultimum, quis facillè neget? quod si enim agentia naturalia determinantur ab Autore nature per inclinationem naturalem ad fines sibi suæque naturæ proprios; num Deus agentia libera per leges, & præcepta non determinaverit ad fines naturæ rationali consentaneos? quis neget naturæ legem in cordibus nostris scriptam esse: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex totis viribus tuis?* quis autem finis naturæ rationali magis proprius est, quàm honestum sectari? neque Deum ex toto corde, & ex omnibus suis viribus diligit, quisquis in alio, præterquam in solo Deo, tamquam in ultimo fine conquiescit, aut qui se suæque omnia ad Deum referre negligit, & contemnit. Quæ quidem omnia ex ipso rationis lumine ita innotescunt, ut cuiusvis ad officia sua naturaliter debita attendenti facillè pateant. Quamvis fieri per accidens possit, ut quis naturalis hujus obligationis immemor aliquando operetur; ferè sicut quis ex ignorantia invincibili judicare quandoque potest, mendacium hic

## 226 DE REGULA MORUM.

& nunc licitum, immo sibi præceptum esse, licet *mentiri* ipso naturali Jure prohibitum sit.

9) Hæc verba Apostoli 1. ad *Cor. 10. sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite*, juxta quosdam TT. continent solummodo consilium, juxta alios præceptum solis Christianis impositum, juxta plerosque ipsius legis naturalis præceptum declarant. Sequitur hinc, actionem humanam non ordinatam ad finem honestum, esse saltem imperfectionem positivam, ideoque moraliter malam, & vituperio dignam. Imperfectio autem *moralis positiva* tunc datur, quando homo deliberatè agens omittit illud, quod advertit hic & nunc magis placere Deo, & ab ipso suaderi; vel cum facit id, cujus contrarium magis Deo placet, & ab ipso consulitur. Hæc quamvis per se loquendo culpa non sit, vel peccatum, attamen dici moraliter mala potest, cum re ipsa mereatur reprehensionem, & exhortationem ad oppositum. *Negativa* imperfectio in eo sita est, quod actus moralis non habeat totam perfectionem, quam ceteri actus ejusdem virtutis habere solent; hæc non est mala nisi respectivè tantum, & negative, quatenus caret tantâ perfectione, quantum alii ejusdem speciei actus habent, Qui laudata Apostoli verba intelligunt de præcepto solis Christianis imposito, contendunt, teneri Christiano referre actiones suas omnes deliberatas etiam ad finem ultimum supernaturalem. Id quod confirmant aliis Apostoli verbis ad *Col. 3, v. 17. Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi facite, gratias agentes Deo, & Patri per ipsum.* Neque ideo impossibilia aut suavit, aut præcepit Apostolus, cum necessum non sit, ut quis *expresse, & actuâ mentis proposito* omnia ad promovendam Dei gloriam referat; modò *virtualiter*, quod fit, ubi quis generatim finem à Deo sibi præstitutum intendit. Præterea si datur præceptum non loquendi verbum otiosum, juxta illud, quod Christus *Matth. 12* dixit: *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Ex verbis enim *tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*; Cur neges dari præceptum non operandi otiosè? erit autem otiosa actio deliberata, cui honestus finis præstitutus

NON

DE REGULA MORUM. 227

non est, sicut verbum otiosum ex mente S. Gregorii (L. 7. Mor. c. 25.) est, quod utilitate rectitudinis, aut ratione iusta necessitatis, aut pie utilitatis caret. Unde S. HIERONYMUS in Pl. 16. Si de verbis otiosis redditur ratio, quanto magis de operibus?

Si ais I. In Synodo CONSTANTIENSI Sess. 15<sup>a</sup> damnata est propositio Joannis Huss: Divisio immediata humanorum operum est; quod sint virtuosa, vel vitiosa. Item ab ALEXANDRO VIII. damnata est hæc 7<sup>ma</sup>: Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est. Ergo. Resp. Prior illa propositio damnata est in pravò sensu Joann. Huss volentis omnia opera à Justo edita bona esse, mala autem esse opera quæcumque à peccatore elicita, nam illud suum adsertum ita confirmatum ibat: quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiosè; & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuosè. Quia sicut vitium, quod crimen dicitur, sive peccatum mortale, inficit universaliter actus hominis vitiosi; sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi. Quod falsum est, cum & justus cadat de die septies; & peccator moraliter bene agere possit. In altera propositione rediviva est propositio 38<sup>va</sup> Baji jam pridem damnata: Omnis amor creature rationalis, aut vitiosa est cupiditas, quæ mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, quæ per Spiritum Sanctum in corde diffusâ Deus amatur. Ut adeo mirum sit errorem hunc iterum propugnatum fuisse à Joanne Sinnichio Lovaniensi, die 4. Aprilis, 1661, & à Macario Hermans,

*vermans*, Antverpiensi, die 19. Maji 1675, post jam proscriptionem, ut dictum, illam *Baji* propositionem: & meritò, eoquod detur amor, qui neque est vitiosa cupiditas, neque charitas supernaturalis; ideoque datur actio deliberata, quæ neque est concupiscentia carnis, nec charitas Patris. Quippe *Bajus* negabat possibilem in natura lapsa quemcumque actum virtutis contradistinctæ à charitate supernaturali; & idcirco docuit omnem actum liberum vel esse meritorium vitæ æternæ, si sit elicitus à charitate; vel esse peccaminosum, si ad perfectionem charitatis supernaturalis non peringat.

*Si ais II.* Idem Pontifex damnavit hanc I. propositionem: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; formabilis verò in conformitate cum regula morum.* Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretativè. Ergo. *Resp.* Hæc propositio malâ fide objicitur, nam verba immediatè sequentia, in quæ damnatio cadit, sunt: *Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis.* Id autem omnino falsum est, tum quia ex ipso rationis lumine absolum est hominem nunquam, aut rarò admodum ad Deum finem ultimum se convertere per actus theologales Fidei, Spei, & Charitatis; tum etiam quia lege naturali tenemur Deum colere cultu præstantissimo supremæ ejus excellentiæ debito, quod potissimum per actus theologales præstatur; ac denique quidam contemptus est, atque insignis ingratitude, infusus virtutum theologalium habitibus fere nunquam uti.

§. II.

## §. II.

*De Regula Moralitatis.*

**R**egula generatim vocatur, juxta quam dirigitur 83. aliquid, & veluti mensuratur, ut debito modo se habeat ad finem suum. Proinde *regula moralitatis* dicitur illa, cui si actiones humanae congruant, moraliter bonæ, & honestæ sunt; inhonestæ autem & malæ, si eidem difformes existant. Duplicem humanarum actionum regulam TT. distingunt, aliam externam, & remotam, quam etiam *objectivam*, & *fundamentalem* vocant; aliam *internam*, *formalem* & *proximam*, quæ sit ipsa *conscientia*. Prior est ratio illa objectiva, unde actus morales habent, quod boni, aut mali sint, eoquod sit ipsa actionum humanarum norma, dirigens hominem in operando. Dari hujusmodi regulam morum certum est, nam ratio, cur aliqui actus humani sint boni, alii mali; alia reddi non potest, nisi quod alii regulæ ejusmodi conformes sint, difformes alii. Nimirum esse bonum vel malum morale non est quid absolutum, sed respectivum, ideoque per commensurationem ad aliud, quod *regula morum* nuncupatur. Cujus quidem istæ statuuntur proprietates, ut sit prima, adæquata, universalis & efficax totius moralitatis norma, ex se indefectibilis, alioquin nec prima foret, nec certa moralitatis mensura. In constituenda hujusmodi regula non una omnium est sententia. Alii naturam rationalem quâ talem, alii Legem Dei æternam contendunt esse rationem ultimatam & fundamentalem, unde omnis honestas, aut inhonestas formalis in actiones humanas derivetur.

## QUAESTIO I.

*An Regula moralitatis objectiva sit natura rationalis?*

84. **N**atura rationalis non est regula objectiva actio-  
 Natu-  
 rarum,   
 non  
 est  
 prima  
 mo-  
 rum  
 regula.  
 num humanarum, ex qua istae suam moralitatem mutuuntur. Nam ratio haec objectiva sit prima, sit indefectibilis, sit universalis, & efficaciter obligans ubique, & omnes: quaeritur enim, unde actiones humanae omnes bonitatem suam moralem, vel malitiam accipiant? talis autem ratio non est natura rationalis, etiam qua talis: cum enim ipsa sit quaedam participatio naturae, & rationis divinae; hoc ipso est interpretes regulae primae increatae, quam per sua nobis dictamina promulgat; igitur non est prima moralitatis norma. Neque ex se indefectibilis est, quia eatenus duntaxat censetur non deficere ab honestatis tramite, quatenus cum Ratione divina congruit; neque est universalis, eoquod tota specie naturae rationalis superior non sit; neque vim habet efficaciter obligandi omnes, ista enim non nisi in superiore residet. Quis nesciat, naturae rationali data esse praecipua à Deo, ex quorum praescripto honestè agat faciendo bonum, & malum fugiendo? igitur ipsa à priore & superiore regula dirigitur. Quoties viri, qui recta ratione sua optimè uti consueverunt, inter se dissident circa honestatem actus, & inhonestatem? in tali autem casu an una eademque erit ratio moralitatis, an diversa? an natura rationalis abstracta, an prout est in singulis individuis? & quid tandem intelligatur per naturam rationalem quae talem?  
 an

an ipsa recta ratio? verum hæc unde rectitudinem suam habet nisi à Deo? quis tunc actus dicetur inhonestus? an qui difformis bono physico naturæ particulatis? igitur mori pro patria civi erit inhonestum; an qui difformis bono physico totius Reipublicæ? igitur mendacium, ex quo salus patriæ dependeret, honestum erit.

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I. Apostolus ad Rom. 2. Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex; ergo. Resp. Addit continuò Apostolus v. 15. qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum. Itaque sensus est, Gentes tametsi legem à Moyse scriptam non habeant, habere tamen aliam legem scriptam in cordibus suis, quibusvis scilicet hominibus à Deo inditam, perque ipsam rationem nobis promulgatam, cui si gentes obtemperaverint, meliorem illarum conditionem fore, ac Judæorum, qui auditores duntaxat legis essent, non factores. Redarguit nempe Apostolus Judæos, quòd sola legis cognitione, & carnis circumcisione gloriarentur, ideoque aspernarentur Gentiles legis naturalis custodes, à quibus ipsi olim essent judicandi. Circumcisio quidem prodest, si legem observes: si autem prævaricator legis sis, circumcisio tua præputium facta est. v. 25. & v. 26. Si igitur præputium (h. e. Gentilis) justitias legis custodiat: nonne præputium illius in circumcisionem reputabitur? ac v. 27. Et judicabit id, quod ex natura est præputium, legem consummans,*

*mans, te, qui per literam & circumcisionem pravaricator legis es.*

*Inst.* S. THOMAS in h. l. ait: *Sine lege potuit quidem cognosci peccatum, secundum quod habet rationem inhonesti; non autem secundum quod importat offensam Dei; igitur inhonestas petitur à natura rationali, h. e. à difformitate cum illa.*  
*Resp.* S. D. per *inhonestum* vel intelligit *malum physicum* (nam inhonestas moralis ab offensa Dei non sejungitur) quod sine lege cognosci possit; vel *inhonestatem fundamentalem*, quæ pro priori ad legem datur, in iis videlicet, quæ intrinsecè & ex natura sua sunt mala; vel denique *inhonestum ejusmodi*, quod quamvis re ipsa offensam Dei importet, sub hac tamen clara, & distincta notione, quod Dei offensa sit, non cognoscatur, uti accidit in homine Deum nonnisi sub attributo Supremi Legislatoris cognoscente. Quod ait idem q. 18. a. 5. *In omnibus bonum & malum dici per comparisonem ad rationem; & q. 71. a. 2. Illud esse bonum hominis, quod est secundum ordinem rationis & naturam ejus; verum est, si intelligatur ratio lege divinâ informata, aut quæ legem Dei nobis applicat.*

*Obj.* II. S. AUGUSTINUS L. 12. de civ. c. 1. ait: *Omne vitium naturæ nocet, ac per hoc contra naturam est.* Et L. 11. de civ. c. 17. *Vitium ita contra naturam est, ut non possit nisi naturæ nocere, Ergo.* *Resp.* Verissima hæc sunt; quia vitium omne adversatur naturæ perfectioni, aut physicæ, aut morali: sed num ideo honestas, aut inhonestas à natura rationali peti debent? ista præconis instar dictat promulgatque, quid lege divinâ

divinâ præceptum, vel prohibitum sit, quin ratio moralitatis objectiva dici mereatur. *Nil malum, nisi quia lege divinâ prohibitum*, ait ipse S. Pater L. I. de *lib. arb.* c. 3. Et vulgatissima est peccati notio, quam dedit, quod sit dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.

*Obj. III.* ALEXANDER VIII. P. M. damnavit hanc *gnam* propositionem: *Re vera peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.* Igitur qui sic odit peccatum, non peccat. Cùm verò talis agat moraliter, nam intendit fugere peccatum; operatur cum advertentia ad regulam morum, quæ proinde est ipsa natura rationalis. *Resp.* Propositio hæc meritò damnata est, tum quia supponit, posse objectum aliquod attingi ut disconveniens naturæ rationali absque ullo ad Deum offensum respectu, quia dicit, posse quemquam odisse peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo respectu ad Deum offensum, ac proinde videtur etiam supponere posse peccare quemquam sine respectu ad Deum. Tum, & præcipuè, quia, ut ait VIVA, more aliarum propositionum *Bajanarum* pro fundamento habet, quòd omnis humana actio deliberata, quæ non sit Dei dilectio, peccaminosa sit; quod in *Bajo* jam pridem fuerat damnatum.

*Obj.* Esto, recta ratio in homine aliquando deficere possit; at non ipsa natura rationalis, hæc enim est ipsa naturæ humanæ essentia, quæ à Deo non dirigitur. *Resp.* Num idem sonant: esse con-

veniens naturæ rationali, & esse conforme rectæ

234 DE REGULA MORUM.

rationali? an diversa sunt? si primum: cur natura rationalis non æque deficere possit, ac recta ratio? si 2dum: quid igitur natura rationalis plus habet, quàm recta ratio in ordine ad mores hominum bene formandos? Si dicis: natura rationalis est ipsum moralitatis fundamentum, & principium directivum, quod recta ratio applicat; peto iterum: unde hoc habeat natura rationalis? eidem vim hujusmodi præceptivam quis dedit? unde constat præcepta ejus indefectibilia esse? quare natura hæc ea absolutè præceperit, quæ ad finem hominis ultimum conducunt; prohibuerit alia, quæ ab eodem fine avocant? an fortè ipsa ad finem ultimum supernaturalem sese ordinavit? sin Deus hunc finem præfixit, igitur & media statuit idonea & necessaria ad finem hunc consequendum. Denique natura rationalis etsi in ratione naturæ nequeat deficere; at in genere morum eandem indefectibilem non esse, perpetui defectus satis manifestant.

Q U A E S T I O II.

*Utrum Lex Dei æterna sit principium primum humana actionis directivum?*

85.  
Lex  
æter-  
na  
Dei.

**D**eum habere providentiam rerum omnium, & præ cæteris creaturæ rationalis, certum est: nam istam exigunt Dei Bonitas, Sapientia, & Justitia. Hæc autem providentia cùm creaturas rationales ad finem ultimum per media apta disponat, necessariò supponit æternam quamdam rationem practicam easdem gubernandi, h. e. normam, sive regulam, ad cujus ductum rationalis natura actiones suas componere debet, ut finem suum ad-  
sequa.

sequatur. Hæc autem norma *lex Dei æterna* vocatur: *lex* quidem, quia est ordinatio Supremi Legislatoris creaturæ rationali per rectam rationem aut etiam exterius promulgata; *æterna* verò, quia etsi in tempore promulgata fuerit, postquam videlicet homines fuerunt conditi; ab æterno nihilominus in mente Dei existit. *Aeternus divina mentis conceptus* (inquit S. THOMAS q. 91. a. 1. ad 1.) *habet rationem legis æternæ, secundum quod ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum.* Quod tamen ita nolim intelligas, ut existimes hæc vel similia dictamina: *non esse mentiendum, peccatum esse puniendum, parentes esse honorandos,* quæ in mente divina existunt, esse ipsam legem æternam, eoquod sub hoc præcisè aspectu non sint nisi cognitio speculativa talium objectorum. Necessum proinde est, ut accedat actus, & imperium divinæ voluntatis, quo rationalis creatura practicè moveatur ad suas actiones his, quæ in divina mente existunt, dictaminibus conformandas. Nempe lex omnis potissimum sita est in ordinatione voluntatis, quæ est in legitimo Superiore. Lex ista æterna latius patet, quàm lex naturalis; hæc enim est ordinatio divinæ voluntatis necessaria circa ea, quæ ex natura sua vel bona, vel mala sunt, creaturæ rationali per rectam rationem promulgata; illa verò omnem gubernandi modum complectitur; igitur & legem positivam, quam Deus ab æterno decrevit dare hominibus in tempore, ut norma esset actionum, quæ ponendæ forent, aut omittendæ. Itaque materia hujus æternæ legis sunt omnes actus morales tam boni, quàm mali, *h. e. Lex Dei æterna versatur circa actiones humanas,*

manas,

## 236 DE REGULA MORUM.

manas, ita ut hæc vel moraliter bonæ sint, vel malæ, in quantum eidem conformes sunt, aut difformes. Caterà tametsi lex Dei æterna in se una sit, & simplicissima; ita enim exigit perfectissima Dei simplicitas; ratione tamen nostrâ multiplex est secundum plures leges formaliter distinctas. Dicta hæcenus ut clariora evadant, sit iste rerum & actuum ordo. 1<sup>o</sup>. Deus omnem rectitudinem & perfectionem essentialiter continet: atque hoc fundamentum est omnis divinæ legis, ut recta sit, & iusta. 2<sup>o</sup>. Concipitur homo, tamquam creatura rationalis libere à Deo producenda, & per legem dirigenda ad finem suum ultimum. 3<sup>o</sup>. Concipitur habitudo ipsorum actuum ad normam dirigi aptorum, ita tamen, ut quidam actus necessario, præcipi debeant, alii necessariò prohiberi, eoquod illarum imperium aut prohibitionem ipsæ perfectiones divinæ exigant; quocirca bonitatem quamdam, vel malitiam fundamentalem habere dicuntur; cum contra alii sub præceptum aut prohibitionem libere cadant. 4<sup>o</sup>. Concipitur lex ipsa tamquam norma, ad quam istiusmodi actus dirigendi sunt. 5<sup>o</sup>. Denique concipitur honestas, & turpitudine formalis tamquam adfectiones actuum ad normam suam relatorum.

æ) Igitur Lex Dei æterna est ordinatio divinæ voluntatis circa ea, quæ facere homo, vel omittere tenetur, ut ad finem suum ultimum pertingat. Eadem complectitur legem naturalem & positivam, ideoque homini applicatur vel per rectam rationem, vel per alias revelationes externas. 2<sup>o</sup>. Dividitur in *præcipientem*, qua aliquid fieri præcipitur; & in *prohibentem*, qua fieri aliquid prohibetur. Ad legem præcipientem reductivè pertinet *consilium*; nam actus

actus humanos per consilia quoque dirigi quis neget? & quidem actus ejusmodi juxta beneplacitum divinum sunt, laudemque ac pramium merentur; igitur honestatem moralem habent, ac proinde conformitatem cum quadam morum regula; quæ autem ista, nisi lex consulens, aut divinum consilium?

*Lex Dei æterna est principium primum actionum humanarum directivum.* Dari in mundo rationali regulam morum certam atque indefectibilem exigit tum recta ipsius naturæ rationalis constitutio, & felicitas; tum ratio sapientis & providi Gubernatoris, qui ipse Deus est. Ista autem quæ alia sit nisi lex Dei æterna? est sanè hæc *prima*, est *indefectibilis*, est *universalis*, omnesque legum capaces efficaciter obligans. Ab ista lege æterna ceteræ omnes vim suam obligandi habent, quia, ut loquitur S. AUGUSTINUS L. I. de *lib. arb.* c. 6., *nihil est in temporali lege justum, quod ex lege æterna non derivetur*; Neque ulla hominum potestas nisi à Deo est, juxta illud *Prov.* 8. *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Lex autem ista æterna, quatenus in Deo est, dicit, aut præsupponit *actum Intellectus divini*, quo judicat rem, seu materiam ferendæ legis, hominibus ad eorum felicitatem necessariam, aut convenientem esse, atque expedire, ut illis servanda præcipiatur. Dein & præcipuè *actum voluntatis*, quo Deus efficaciter vult mortales obligatos esse ad ea observanda, quæ ipsis vel congrua, vel necessaria judicat. Unde S. THOMAS 2. 2. q. 104. a. 1. ad 2. *Ipsa Dei voluntas est, inquit, prima regula, qua regantur omnes naturales voluntates.*

86.  
Regu-  
la mo-  
rum.

Respon-

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* Multa sunt prohibita, quia mala, cuiusmodi sunt furta, adulteria; &c. igitur jam ante legem Dei datur operum inhonestas. *Resp.* Multa sunt prohibita per legem Dei æternam, quia mala sunt *radicaliter*, aut *fundamentaliter*. C. Quia sunt *formaliter* mala. N. Itaque ante legem Dei datur inhonestas operum fundamentalis, eorum videlicet, quæ divinis perfectionibus repugnant; unde movetur Deus ad istiusmodi actus prohibendos: quin tamen ulla detur honestas, aut inhonestas formalis, sita in conformitate, aut difformitate cum lege Dei æterna præcipiente vel prohibente.

*Inst. I.* Deo per impossibile non existente, adhuc honestè ageret, qui daret eleemosynam; & inhonestè, qui alterum iniquè occideret. *Resp.* Huiusmodi actiones in ista hypothese forent bonæ, aut malæ, bonitate & malitiâ *physicâ*, non autem *moralî*. Quod verum est, etiamsi in eadem hypothese existeret humana lex eleemosynam præcipiens, & iniquam prohibens alterius occisionem: cum enim lex humana vim suam omnem obligandi mutuetur à lege Dei æterna; hæc non existente, neque illa in conscientia efficacem obligationem pareret. Immo in tali casu mendacium *v. g. & furtum* nequidem propriè difformia rationi essent, nec eleemosyna eidem conformis: omnis enim actuum humanorum conformitas cum ratione, aut difformitas est talis per respectum ad rationem seu regulam applicantem iussu divina, sive etiam in  
quantum

quantum est quædam divinæ Rationis participatio. Inde est, quod PP. communissimè peccatum definiant, esse transgressionem divinæ legis. *Neque peccatum erit* (inquit S. AUGUSTINUS L. 2. de peccat. mer. c. 16.) *siquid erit, nisi divinitus jubeatur, ut non sit.* Quibus prævit Apostolus ad Rom. 4. dicens: *Ubi non est lex, nec pravari- catio.*

*Inst. 2.* Intelligimus multas esse actiones honestas, quin cogitemus de lege Dei, v. g. audire Sacrum die festo, honorare parentes, &c. *Resp.* Quin cogitemus de lege Dei *explicitè*, & sub ratione expressa principii primi directivi. C. Quin cogitemus saltem *implicitè*, *virtualiter*, & *exercitè* N. Præceptis humanis obtemperamus, quia hæc est Dei voluntas: igitur hoc ipso similes actus divinæ legi conformamus. Sunt equidem leges humanæ & ipsæ actionum nostrarum regula, at non nisi *secunda*, dum *prima* omnium & ultima lex Dei æterna est.

*Inst. 3.* Lex Dei æterna nobis ignota est: & quo pacto prima morum regula sit? *Resp.* Lex ista, in quantum legem naturalem complectitur, quoad principia prima & universalissima, item quoad conclusiones cæteras ex illis immediatè & facilè fluentes nobis per rationem sufficienter applicatur; quatenus verò legem Dei positivam in se continet; revelationis externæ ope, & ministerio innotescit.

*Inst. 4.* Sic actiones humanæ erunt æqualiter inhonestæ, aut honestæ, sicut actus divini omnes æqualiter honesti & sancti sunt. *Resp.* Tametsi omnium actionum regula sit voluntas Dei; hæc tamen cum actus omnes non approbet, aut reprobet æqualiter, sed  
alios

alios magis, minùs alios; inde habetur formalis honestas, vel inhonestas inæqualis. Ad actus divinos quod attinet: hi cùm essentialiter recti, & indefectibiles sint, regulâ non egent; equidem conformantur sapientiæ, & rectitudini infinitæ: verùm ista propriè regula non est. Præterea quamvis actus divini omnes æqualiter honesti sint *intrinsecè*, quia omnes ab infinita ejus bonitate, & sapientiâ procedunt; objecta tamen actuum divinorum sunt diversæ bonitatis, veluti Incarnatio, & negatio illius. Hinc Deus per volitionem Incarnationis fit magis laudabilis *laudabilitate extrinsecâ* propter majorem gloriam accidentalem.

*Obj. II.* Si voluntas Dei est actionum humanarum norma, igitur homo potest velle id ipsum, quod Deus vult, ideoque potest honestè velle occisionem & mortem parentum, damnationem reprobatorum, &c. *Resp.* Voluntas Dei, qua ipsa vult objectum, non est regula moralitatis, sed in quantum vult, & præcipit, ut nos objectum aliquod velimus. Proinde homo ea velle duntaxat honestè potest, quæ Deus vult, ut velimus. Prohibuit autem, quæcunque amori, quem quisque proximo debet, adversantur.

*Obj. III.* Lex Dei æterna est summè necessaria; igitur legem positivam, utpote liberam, non comprehendit. *Resp.* Est summè necessaria *ex parte*, non autem *ex toto*; est enim regula universalis omnium actionum humanarum, inter quas multæ sunt, quarum objecta nec *intrinsecè* bona, nec mala sunt, adeoque nec præceptæ necessariò, nec prohibitæ: igitur sunt objectum legis positivæ. Prima morum regula ubi *indefectibilis* dicitur, sensus est

est, eam à vero, & honesto deficere non posse; quod ipsum legi divinæ positivæ æque ac naturali competit, cum utriusque origo sit rectitudo Dei infinita. Secus est de *immutabilitate*, quæ solius Juris naturalis propria est, quamvis & ista suo modo in legem positivam cadat.

### QUAESTIO III.

*Utrum omnis actus moralis, ut honestus sit, ex charitate Dei procedere debeat?*

**P**erpetuæ *Jansenistarum* hæ fraudes sunt, ut 87.  
 sub pietatis larva nequitiam suam tegant. Id quod etiam deplorabat CLEMENS Papa XI. in Bulla, *Unigenitus* anno 1713. 6. Idus Septembris data, Apostolico ore sic elocutus: *Unigenitus Dei Filius, pro nostra, & totius mundi salute filius hominis factus, dum Discipulos suos doctrinâ veritatis institueret, universamque Ecclesiam suam in Apostolis erudiret, præsentia disponens, & futura prospiciens, præclaro ac saluberrimo documento nos admonuit, ut attenderemus à falsis Prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, quorum nomine demonstrantur potissimum Magistri illi mendaces, & in deceptione illusores, qui splendidâ pietatis specie prava dogmata latenter insinuantes, introducunt sectas perditionis sub imagine sanctitatis, utque facilius incautis obrepant, quasi deponentes lupinam pellem, & sese divina legis sententiis, velut quibusdam ovium velleribus obvolvunt, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipsius Novi Testamenti verbis, quæ*  
 Tom. II. Q multa

*multipliciter in suam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui scilicet, à quo progeniti sunt, mendacii parentis exemplo ac magisterio edocti, nullam omnino esse ad fallendum expeditiorem viam, quàm ut ubi nefarii erroris subintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum pretendatur autoritas. Igitur ex mente Jansenistarum, ducibus Bajo, & Quesnello, omnes actus morales, ne vitiosi sint, ad Deum referri debent, & quidem ex motivo charitatis propriè dictæ, quin aliud habere motivum formale bonum queant, alioquin actus tales erunt dilectio vitiosa. Omnis amor creaturæ rationalis, dicebat Bajus in prop. 38. damnata, aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ à Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur. Cui consonant sequentes propositiones Quesnelli à CLEMENTE XI. in Bulla, Unigenitus, damnatæ: 44ta: Non sunt nisi duo amores, unde volitiones & actiones omnes nostræ nascuntur; amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. 45ta: Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. 46ta: Cupiditas aut Charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt. Nempe, si Quesnello credimus, amor unicum humani cordis organum est. 47ma. Obedientia legis profuere debet ex fonte, & hic fons est charitas. Quando*

do

do Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis tum purum est, quod apparet exterius; alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. 49na: Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. Nulla igitur est virtus, nisi motivum formale habeat Charitatem propter Deum, nulla Fides, Spes nulla. Omnia alia salutis media continentur in Fide, tamquam in suo germine & semine; sed hæc fides non est absque amore & fiducia. Ita prop. 52. Et 57ma: Totum deest peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. 58va: Nec Deus est, nec Religio, ubi non est charitas.

Certum est, dari posse actus bonos, non morales solum, sed etiam theologicos, etsi ex motivo charitatis Dei non procedant. Nam 1<sup>o</sup>. Sap. 8. v. 7. Et si justitiam quis diligit: labores hujus magnas habent virtutes; sobrietatem enim (gr. σωφροσύνη, temperantiam) & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem (gr. ἀνδρεία, fortitudinem) quibus utilius nihil est in vita hominibus. Ubi quatuor virtutes Cardinales commendantur tamquam hominibus utilissimæ: quis verò ita rudis sit, ut nesciat, istarum formale motivum ab illo charitatis diversum esse? 2<sup>o</sup>. Apostolus I. ad Cor. 13. Fidem, Spem, & Charitatem tamquam virtutes distinctas ponit: Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum charitas: si autem major duntaxat, igitur & cæteris sua vis & laus debetur. Unde Synodus TRIDENTINA Sess. 6. c. 6. ait hominem per fidem, timorem, & spem disponi ad charitatem & justificationem; igitur

Q 2 sunt

sunt actus salutares sine charitate. Et *can. 7. Siquis dixerit opera omnia, quæ ante Justificationem sunt, quacunque ratione facta sint, verè esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quantò vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum graviùs peccare, anathema sit.* Facit huc quoque *Canon 8. Siquis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.* Quis neget plura dari motiva honesta præter illud charitatis? igitur & actus sunt honesti, qui talibus motivis nituntur, si videlicet ipsa quoque objecta honesta sint, nec alia interveniat circumstantia, quæ vitiosa sit. Jejunet homo peccator, det eleemosynas, ut peccatorum veniam consequatur: an ideo peccet, si ex charitate ista non procedant? certè sine aliquibus bonis operibus difficilè vita cujuslibet pessimi invenitur, inquit S. AUGUSTINUS de spir. & lit. c. 28.

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I. Apostolus I. ad Cor. 13. disertè ait, opera omnia sine charitate nihil prodesse: Si linguis hominum loquar, & Angelorum . . . Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Ergo. Resp. Apostolus hic loquitur de charitate habituali: opponit enim istam partim donis gratis datis, partim aliis operibus moraliter bonis, aitque solam esse charitatem, quæ*  
homi-

hominem Deo gratum, & amicum faciat. *Corinthii* nempe admirabantur donum linguarum, & Prophetiæ, ac scientiæ: illos proinde hortatur: ut his omnibus præferendam ducerent charitatem, qua Deo intimè unimur, reddimurque filii Dei, & regni cælestis hæredes. Unde v. 8. *Charitas nunquam excidit*, (h. e. durabit usque in alteram vitam) *sive Prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur.* Hæc enim omnia in altera vita cessabunt.

*Inst. 1.* Idem Apostolus c. 16. *ep. cit. Corinthios* hortatur: *Omnia vestra in charitate fiant* Ergo. *Resp.* Verba hæc intelligi possunt vel tanquam *consilium*, quod dabat *Corinthiis*, ut ex charitate omnia facerent; vel ut *præceptum*, sive *negativum*, nequid unquam agerent, quod charitati adversaretur; sive *adfirmativum*, ut sæpius ex motivo charitatis operarentur. Quæ tamen posterior acceptio longius à mente Apostoli abesse videtur, prævalentque duæ priores. Id enim frequentius agebant Apostoli, ut ambitionem, iram, contentiones, intemperans lucri & commodi studium à primis Fidelibus ad Fidem recens conversis averterent.

*Inst. 2.* Apostolus idem videtur commendasse *Corinthiis*, quod Christus præceperat omnibus *Matth. 22. v. 37. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua:* Hoc autem Christi mandatum cum omni extensione sumi debet; ergo. *Resp.* Duobus modis istud Christi præceptum intelligi potest: 1<sup>o</sup>. ut Deum amemus amore appetitativè summo h. e. super omnia, eumque rebus cæteris omnibus anteferamus. *Cùm ait: toto corde* (inquit S. AU-

## 246 DE REGULA MORUM.

GUSTINUS L. I. de *Doctrina Christ.* c. 22.) totâ animâ, totâ mente, nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut aliâ re velis frui; sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totius dilectionis impetus currit. 2<sup>o</sup>. Nequid ab homine fiat, quod hujus amoris repugnat officiis. Utraque hæc acceptio est ferè communis PP. & Interpretum. Exinde autem minimè sequitur, actiones nostras omnes ex motivo charitatis procedere debere, ut honestæ sint, Deoque gratæ.

*Inst.* 3. Omnia opera nostra ex motivo charitatis fieri debere, Christus jam antea significaverat *Matth.* 12. v. 30. dicens: *Qui non est mecum, contra me est.* Ergo. *Resp.* Duplex potissimum sensus horum verborum est: 1<sup>us</sup>: Satanæ, cujus virtute me dicitis ejicere dæmonia, adeo mecum non est, ut etiam contra me sit, nec solum non congreget mecum homines in horreum Dei, sed eosdem quoque dispergere studeat, & à Deo abducere. Proinde ipsa operum diversitas satis demonstrat, me inter & dæmonem nullam esse concordiam. Nempe Pharisei dixerant v. 24. *Hic non ejicit dæmones nisi in Beelzebub principe dæmoniorum.* 2<sup>us</sup>: q. d. Vos Pharisei quasi iudices æqui & indifferentes haberi vultis, qui nec pro me sitis, nec contra me, sed pro veritate; at neque vos, neque alios velim decipiatis. Nam etsi verum esset, quod simulatis, vos neque pro me, nec contra me esse; adhuc tamen culpa in vobis residet: eum enim Scripturarum scientiam profiteamini, primos vos oportuit meas tueri partes. Unde v. 33. ad eos Christus: *Aut facite arborem bonam,*

Et fructum ejus bonum; aut facite arborem malam, Et fructum ejus malum: siquidem ex fructu arbor agnoscitur.

Obj. II. Ex mente Ss. PP. inter charitatem Dei, & peccatum nihil mediat. Ita S. LEO Serm. 5. de jejuniis ait: *Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut Mundi.* Et S. AUGUSTINUS in Ps. 18. *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati.* In Enchir. c. 107. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est charitas.* L. I. Retr. c. 5. *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* L. de Gr. Chr. c. 26 *Ubi non est dilectio, nullum bonum imputatur, nec recte opus bonum vocatur.* Iterum L. de grat. & lib. arb. c. 18. *Quidquid se putaverit homo facere, si fiat sine charitate, nullo modo beneficit.* Consentit S. THOMAS 2. 2. q. 23. a. 7. ad 1. *Sine charitate non potest esse actus perfecte bonus, quia deest debita ordinatio in ultimum finem.* Ergo. Resp. Ad 1<sup>um</sup>. Sensus est, hominem per dilectionem vel Deo adherere, vel creaturis, quin exinde inferri possit, quemvis actum, ut honestus sit, ex motivo formali charitatis Dei procedere debere, & eo ipso vitiosum esse, si ex alio motivo procedat. Nam S. Papa in eodem Sermone æque dicit necessariam esse dilectionem proximi: item commendat cæteras virtutes, veluti patientiam, mansuetudinem, liberalitatem: contemptum rerum terrenarum inculcat, atque: *Christi instituta nobis onerosa non essent, & ab omnibus nos periculis liberarent, si nihil aliud quàm quod amandum jubetur, amaremus.* Ad 2<sup>dum</sup>. Sensus est, hæreticum & Schismaticum

servire iniquitati, eo quod servire charitati non ve-  
 lit, servando pacem, & unitatem Ecclesiæ. Ad  
 3<sup>tium</sup>. Verba hæc *loc. cit.* non leguntur, sed. c. 117. Cæ-  
 terum nisi habitus charitatis regnet in homine; regnat  
 utique carnalis cupiditas, quatenus homo concu-  
 piscentiis suis nihil non indulget; quin tamen id-  
 circo opera ejus omnia sint vitiosa, quòd ex cha-  
 ritate non procedant; modò ex alio honestatis mo-  
 tivo operetur. Similiter ad 4<sup>tum</sup>. Nempe volun-  
 tas habitu charitatis destituta amplius in malum in-  
 clinatur, sæpius etiam ab honesto deficit: num id-  
 circo etiam inhonestus ille actus est, quem ex mo-  
 tivo formali alterius virtutis elicit? Ad 5<sup>tum</sup>. S.  
 P. ibi loquitur contra *Donatistas*, aitque omnia  
 opera in speciem bona nullius esse valoris, si desit  
 habitus charitatis erga Deum & proximum, veluti  
*Donatistis* Ecclesiam scindentibus. Addit enim:  
*Unde meritò creduntur, qui extra Ecclesiam ba-*  
*ptismum Ecclesiæ perceperunt, non habere Spiri-*  
*tum Sanctum, nisi cum ipsi Ecclesiæ, vinculo*  
*pacis per connexionem charitatis, adhærescunt.*  
 Ad 6<sup>tum</sup>. Ex mente S. Patris, quidquid se putave-  
 rit homo facere bene, si fiat *exclusivè*, sine chari-  
 tate Dei & proximi, nullo modo fit bene. Si fit  
 sine charitate Dei, & proximi per merum *defectum*  
 hujusmodi charitatis, tunc si deficit habitus chari-  
 tatis, non fit bene bonitate operis hominem ad  
 cœleste regnum perducentis; si deficit sola chari-  
 tas actualis, ex aliarum virtutum motivo fit bene.  
 Ita enim de timore Dei S. D. disertè testatur *loc.*  
*cit.* dicens: *Ne nos arbitremur non accepisse spiri-*  
*tum timoris Dei, quod sine dubio magnum est*  
*Dei donum.* Non quo timore Christum Petrus  
 nega-

negavit: sed illius timoris spiritum accepimus, de quo dicit ipse Christus: Eum timete, qui habet potestatem, & animam & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis, hunc timete. Ad 7<sup>mum</sup>. S. THOMAS duntaxat vult, quòd actus ex alterius virtutis, quàm ex charitatis motivo elicitus non sit æque bonus, & perfectus: ait enim: *Et secundum hoc sine charitate potest quidem esse aliquis bonus ex suo genere, non tamen perfectè bonus, quia deest debita ordinatio ad finem ultimum.* Contextus sic habet: *Actus alicujus charitate carentis potest esse duplex: unus quidem secundum hoc, quòd caritate caret, utpote cùm facit aliquid in ordine ad id, per quod caret charitate: & talis actus semper est malus: sicut Augustinus dicit (L. 4. contra Julian. c. 3.) quòd actus infidelis, in quantum est infidelis, semper est peccatum, etiam si nudum operiat, vel quidquid aliud hujusmodi faciat, ordinans ad finem suæ infidelitatis. Alius autem potest esse actus charitate carentis, non secundum id, quòd charitate caret, sed secundum quod habet aliquod aliud donum Dei, vel fidem, vel spem, vel etiam naturæ bonum. Et secundum hoc, &c.* Ubi sicut & in ☉ eos duntaxat actus dicit esse malos, qui neque ordinantur, neque ordinari possunt ad finem ultimum. Exempli loco ponit avarorum prudentiam, qua excogitant diversa genera lucrorum.

*Inst. I. S. AUGUSTINUS in Enchir. c. 117. disertè negat, Fidem & Spem ad vitam æternam prodesse, nisi accedat charitas; ait enim: Qui non amat, inaniter credit, etiam si vera sint, quæ credit; inaniter sperat, etiam si ad æternam fe-*

*licitatem doceantur pertinere, quæ sperat. Subscribit iterum S. THOMAS q. 4. de Fide a. 5. dicens: Fides in ornis non est vera Fides, quia non habet perfectionem ex parte voluntatis. Ergo. Resp. S. D. ibidem significare voluit, quod ante Apostoli docuerant, sc. solam Fidem non justificare, & fidem sine operibus esse mortuam. Item charitatis nomine potissimum hic intelligit amorem justitiæ, nam addit: Quamvis enim sperare sine amore non possit; fieri tamen potest, ut id non amet, sine quo ad id, quod sperat, non potest pervenire: tamquam si sperat vitam æternam, quamvis non habeat, & non amet justitiam, sine qua nemo ad illam pervenit. Eodem modo intellige Doctorem Angelicum, nempe Fidem informem non esse veram, h. e. salvificam Fidem.*

*Inst. 2. S. P. in ep 167. ad Hieron. c. 4. Ita loquitur: Ut generaliter breviterque complectar, quam de virtute habeam notionem, quod ad rectè vivendum attinet. Virtus est charitas, qua id, quod diligendum est, diligitur. Hæc in aliis minor, in aliis major, in aliis nulla est. Et L. 2. contra Crescon. c. 12. Charitas cooperit multitudinem peccatorum, quæ una si adsit, omnia illa rectè fiunt, si autem desit, omnia illa frustra fiunt. Item L. 3. Operis imperfecti: Inter divine gratiæ species si poneretis dilectionem . . . sine qua nemo piè vivit: sine qua nullius est bona voluntas; & cum qua nullius est nisi bona voluntas; verè liberum defenderetis, non inflaretis arbitrium. Ergo. Resp. Ad Imum. Ex mente S. P. virtus in genere, quatenus peculiare virtutes omnes in se complectitur, est charitas, videlicet,  
amor*

DE REGULA MORUM. 251

amor boni seu honestatis universalis, consentaneæ rectæ rationi, qua charitate id, quod diligendum est, diligitur. Hac charitate peculiare omnes honestates, quæ in virtutibus singulis continentur, sive quæ ad Deum, sive quæ ad mores pertinent, diliguntur. Quòd autem S. D. nomen charitatis pro universali amore boni non rarò usurpet, patet ex L. 8 de *Trinit.* c. 10. ubi charitatem ita definit: *Quid est autem dilectio, vel charitas, quam tantopere divina Scriptura laudat, & prædicat, nisi amor boni?* Aliquando etiam charitatis nomine intelligit bonam voluntatem, qua quis in suis operibus non aucupatur bona terrena, sed cœlestia & immortalia desiderat; veluti cùm in *Pf.* 89. ait: *Omnia bona opera nostra unum opus est charitatis, plenitudo enim legis charitas . . . Tunc enim recta sunt opera, cùm ad hunc unum finem diriguntur.* Nempe ibi ostendit discrimen inter homines V. & N. T. aitque illis pro bonis operibus sola, vel penè sola præmia terrenorum bonorum Deum polliceri videri; ablato autem V. L. velamine considerare homines mirabilia de Lege Dei, h. e. ad cœlestem beatitatem anhelare. Ad 2dum. Loquitur contra *Donatistas*, ut supra. Ad 3tium. Sine habituali dilectione nemo piè vivit, nulliusque est bona voluntas. Item sine virtuali dilectione, qualis est quævis boni superni cupiditas, nemo piè vivit. Demum sine formali dilectione Dei super omnia, urgente præcepto, de hac dilectione elicienda, nemo piè vivit, nulliusque est bona voluntas. Nempe *Pelagiani*, adversus quos S. P. ibidem agebat, non aliam admittebant gratiam, nisi quæ ad ordinem naturæ pertineret, vel esset quid  
homi

homini extrinsecum, veluti lex, & prædicatio Evangelii. Dilectionem autem in quavis significatione acceptam, Dei donum esse negabant, eandemque solis naturæ viribus tribuebant. Unde S. D. id agebat, ut *Julianus* inter varias divinæ gratiæ species etiam dilectionem recenseret, in quacunquē significatione illa accipiatur.

*Inst. 3. Idem L. de patient. c. 23. Hæc, inquit, propter charitatem dicta sint, sine qua in nobis non potest esse vera patientia: quia in bonis charitas Dei est, qua tolerat omnia; sicut in malis mundi cupiditas. Et L. 3. de doctr. Chr. c. 10. Non præcipit Scriptura nisi charitatem, nec culpatur nisi cupiditatem, & eo modo informat mores hominum. Ergo. Resp. Ad 1mum. S. P. iterum per charitatem intelligit bonam voluntatem, qua sc. boni studiosa est; & cupiditatis nomine voluntas studiosa mali apud eundem accipitur. Hæc igitur voluntas bona (inquit L. de pat. c. 25.) id est, voluntas Deo fideliter subdita, voluntas superni ardoris sanctitate accensa, voluntas quæ diligit Deum, & proximum propter Deum; sive amore, de quo respondet Apostolus Petrus: Domine tu scis, quia amo te; sive timore, de quo dicit Apostolus Paulus: In timore & tremore vestram ipsorum salutem operamini; sive gaudio, de quo dicit: Spe gaudentes in tribulatione patientes; sive tristitiâ, qualem se dicit magnam habuisse pro fratribus suis, quacunquē amara, & aspera sufferat, charitas Dei est, quæ omnia tolerat. Ad 2dum. Non præcipit Scriptura nisi charitatem, h. e. bonam voluntatem; nec culpatur nisi cupiditatem, h. e. malam voluntatem.*

lunta-

luntatem, sicque mores hominum informat. Cùm enim bona voluntas finem honestum respiciat, mala autem inhonestum; fit ut omnia bona hominum opera ex voluntate bona, & mala omnia hominum opera ex voluntate mala tamquam ex fonte profluant. *Quid est autem dilectio, vel charitas* (inquit L. 8. de Trin. c. 10.) *quam tantopere divina Scriptura laudat, & prædicat, nisi amor boni?* & L. 2. contr. 2. ep. Pelag. c. 9. *Quid est boni cupiditas nisi charitas?* Nempe charitas, seu bona quævis voluntas est motus, quo fertur animus ad quiescendum denique in Deo tamquam in fine ultimo, nam omnis bona voluntas tandem in Deum definit, in quo ultimatò quiescit. Cupiditas contra, seu quævis mala voluntas est motus, qua fertur animus ad quiescendum denique in creatura, tamquam in fine ultimo, neque ultra progreditur. Apertè hæc significat S. P. L. 2. de peccat. mer. c. 18. *Quantquam voluntas mirum si potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona, nec mala sit. Aut enim justitiam diligimus; & bona est; & si magis diligimus, magis bona est; si minus, minus bona; aut si omnino non diligimus, non bona est. Quis verò dubitet dicere, voluntatem nullo modo Justitiam diligentem, non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem? Si ergo voluntas aut bona est, aut mala, & utique malam non habemus ex Deo; restat, ut bonam voluntatem habeamus ex Deo.* Dilectio autem Justitiæ sive universalis, quæ omnia officia Deo, sibi & proximo debita complectitur; sive particularis; veluti distributivæ aut commutativæ, non est amor honestus theologicæ charitatis, neque inhonestus amor vitio-

sa cupiditatis. Denique *Serm. 32. c. 14. Si volumus, inquit, bene vivere, plus amemus, quod promittit Deus, quàm quod promittit hic Mundus: & plus timeamus, quod minatur Deus, quàm quod minatur hic Mundus.* Igitur spes præmii, & timor supplicii à Deo infligendi sunt actus honesti, etiamsi ex motivo charitatis theologice non procedant.

## CAPUT IV.

*De Conscientia.*

89.

Sen-  
sus  
deco-  
ri.

**I**nter ceteros sensus internos esse in nobis *sensum honesti, & decori*, qui veluti pro tribunali sedens exercet iudicium in omnia, quæ agunt homines, decernens, quid pulchrum sit, quid deceat, quid honestum, & quidem absque utilitate, aut voluptate quæsita, ex eo constat, quòd quisque honestiora sua erga alios censeat officia, quo maiore cum periculo suo, aut damno fuerint conjuncta, quoque minùs ad nominis sui celebritatem fuerant destinata, quodque ad aliorum honestas actiones, de quibus legimus, & audivimus, in seculis licet prioribus, pariter ac præsentibus laudemus; immo virtutem, fidem, patriæ suæ charitatem, licet nobis damnosam vel in hoste comprobemus. Quæ hoc sensu probantur, *recta* dicuntur & *pulchra*, ac *virtutum* nomine compellantur. Quæ damnantur, *foeda* dicuntur, *turpia* aut *vitiosa*. Huic sensui adânis est suavissimus ille sensus *laudis & honoris*, cum intelligimus consilia nostra & actiones sententiis bonorum hominum probari: cui contrarius est molestissimus vituperii sensus, dum actiones nostræ & consilia aliorum suffragiis dam-

na-

nantur. Atque his sensibus commoventur etiam illi, qui nullam aliam ex hominum comprobatione sperant utilitatem, neque ex censura incommodum timent. Immo de fama superstite solliciti sunt homines jamjam morituri, non minus ac qui vitam sperant diuturnam. Hunc sensum à natura datum esse, satis docet ille animi motus naturalis, qui pudor, aut verecundia dicitur, vel in infantibus vultus rubore sese manifestans. Hujusmodi sensus sunt initia quædam & quasi elementa virtutum, quæ uti pravis moribus aut perversis consuetudinibus non raro præfocantur, ita studio & exercitatione perficiuntur. Pertinent verò ad *intellectum moralem*, h. e. ad facultatem mentis cognoscitivam eorum, quæ ad mores spectant.

Intellectus *moralis* in duas partes dividitur, *syn.* <sup>90.</sup> *Con-*  
*terefim* & *conscientiam*: illa est primorum bene *ficien-*  
 vivendi principiorum cognitio, sic dicta à voce *tia.*  
 græca *συντηρεῖν*, *conservare*, eoquod hæc prima  
 principia in mente semper conserventur, nec impro-  
 bissimi illa possint exuere. *Conscientia* verò est  
 iudicium actuale practicum dictans, quid in parti-  
 culari agendum sit, vel omittendum, quidve fieri  
 aut omitti debuisset. Hinc vel est *antecedens*,  
 ubi de agendo deliberatur; vel *consequens*, ubi de  
 præteritis est iudicium. *Conscientiam* *Origenes* inc. 2.  
*ep. ad Rom.* ait esse veluti Pædagogum animæ sociatum,  
 & rectorem, ut eam de melioribus moveat, vel  
 de culpis castiget, & arguat. Ab aliis communi-  
 ter definitur, quòd sit actus, sive dictamen, quo  
 intellectus ex principiis generalibus Synterefeos ju-  
 dicat de bonitate, aut malitia eorum, quæ sunt,  
 vel omittuntur.

Con-

91.  
Ejus  
divi-  
sio.

Conscientia variè dividi solet: 1<sup>o</sup>. ratione *sui* in *præcipientem*, quæ jubet, aut vetat: in *consulentem*, quæ solum adhortatur; & *permittentem*, quæ fieri aliquid, vel omitti patitur. 2<sup>o</sup>. Ratione *objecti* in *rectam*, si id, quod conscientia faciendum, vel omittendum dicitur, legi Dei æternæ re ipsa conforme sit; & *erroneam*, si eidem legi difforme sit. 3<sup>o</sup>. Ratione *assensus* in *certam*, *probabilem*, & *dubiam*. *Certa* est, dum ratio certum & definitum fert iudicium de actione. *Dubia*, est suspensio intellectus neutri contradictionis parti adhaerentis vel propter rationes utrimque æque probabiles, & dicitur *positivè dubia*; vel quia pro neutra parte rationes militant, diciturque *negativè dubia*. Dividitur etiam in *scrupulosam*, cui levissimæ rationes formidinem incutiunt: & quidem si merè timet, quin iudicet actionem esse malam, utut ex levibus & inanibus rationibus, ne mala sit actio contra iudicium, quod de illius bonitate habet, propriè non est conscientia, sed quædam hujus umbra. Et *laxam*, seu *laxam*, quæ ex levibus admodum rationibus ea sibi licere putat, quæ re ipsa prohibita sunt; aut pro levi peccato reputat culpas in se graves, cum utrumque facilè deprehendi possit. Utraque hæc conscientia ad erroneam pertinet. Dividi etiam conscientia potest in *veram* & *falsam*, in *bonam* & *malam*. Dicitur *vera*, quæ ex principiis veris dicitur aliquid hic & nunc licere aut non licere, quod re ipsa tale est. Hæc eadem est, ac *recta*: differt à *certa*, eo quod hujus objectum aliquando legi divinæ possit esse non conforme re ipsa, licet tale iudicetur ex principiis certis. *Falsa* eadem est ac *erronea*. Conscientia  
*bona*

*bona* vel iudicat de præteritis, aut futuris, quando quis sibi conscius est recte factorum, aut habitualiter dispositus ad honeste operandum, diciturque habere testimonium conscientia**æ** *bonæ*; *mala* autem conscientia est, si actus præteritos tamquam inhonestos reprobet, & vocatur *remorsus* seu *veremis conscientia*. Dicitur *cauteriata*, si ita in malo obfirmata sit, ut vulnera sua non sentiat. Si parva magni, & magna parvi æstimet, *pharisaica* nuncupatur.

## §. I.

## De Conscientia certa, &amp; erronea.

**O**mne quod non ex fide, peccatum est. Ad 92.  
 Rom. 14 c. v. 23. Loqui autem hic Aposto-  
 lum de conscientia, hanc sc. intelligendo per *fidem*,  
 præterquam quòd communiter PP. sentiant; mani-  
 festum etiam fit ex ipso contextu: nam loquitur de  
 comestione ciborum, qui per se mali non erant,  
 quos tamen quidam malos & immundos, utpote  
 lege Mosaicâ prohibitos, existimabant, aitque v.  
 23. *Qui autem discernit, si manducaverit, damnatus est: quia non ex fide: h. e.* Qui discernit cibum à cibo quasi illicitum & vetitum, à licito & permissio, si nihilominus manducaverit, peccati & damnationis reatum incurrit, quia non ex conscientia dictamine, qua credit licere sibi hoc cibo vesci, illum manducat. Unde S. THOMAS I. 2. q. 19. a. 5. *Dicendum, quòd simpliciter omnis voluntas discordans à ratione, sive recta, sive errante, semper est mala.* Et INNOCENTIUS III. c.

*Literas 13. de restit. spoliat. Quidquid fit contra conscientiam: adificat ad gehennam.* Conscientia nimirum est regula formalis & proxima actuum humanorum, inquantum nobis applicat legem hic & nunc præcipientem, aut prohibentem; proinde qui agit contra conscientiam, agit contra legem actu obligantem, quæ saltem talis existimatur; atque adeo actio vel omissio cum legis contemptu, saltem virtuali, conjuncta est. Præterea bonitas vel malitia formalis non sumitur ex objecto in se spectato, sed prout ab intellectu, vel ratione proponitur, nam voluntas est cæca ducem rationem sequens; si igitur ratio objectum tamquam malum proponat, & voluntas illud amplectatur; hoc ipso voluntas censetur illud velle ceu lege prohibitum. Similiter si conscientia repræsentet objectum ut lege præceptum, etsi tale non sit, voluntas illud amplectendo censetur eligere tamquam præceptum à lege, sicque honestè agit.

93.  
Præ-  
cepta  
quæ-  
dam.

Sequitur ex his I. Numquam licere agere contra conscientiam vel præcipientem, vel prohibentem: & de *recta* conscientia per se patet: nam *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non facit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis. Luc. 2. c. v. 27.* II. Si conscientia error sit invincibilis, tenemur & istam sequi faciendo aut omittendo, quod faciendum vel omittendum dicitur: esto enim, quòd speculative falsa sit; practice tamen vera & recta est, quia conformatur legi divinæ quemvis obliganti, ut juxta dictamen conscientia suæ operetur. Unde certum est eum excusari à peccato formali, qui agit contra legem invincibiliter ignoratam, ut patet ex *prop. 2. ab*

ALE-

ALEXANDRO VIII. anno 1690. damnata: *Tametsi detur ignorantia invincibilis Juris natura, hæc in statu natura lapsæ operantem ex ipsa non excusat à peccato formali.* Immo nihil prohibet, quominus actus ex conscientia invincibiliter erronea positus etiam positivè bonus & honestus sit, quia voluntas sub ea duntaxat ratione fertur in objectum, sub qua ab intellectu ipsi proponitur, nam ipsa est cæca; si igitur per errorem invincibilem proponatur ut bonum, etiam ut tale voluntas amplectitur; proinde ex hac parte nihil est, quod actus honestatem impediatur. NEC DICAS: Omnis actus positivè bonus & honestus, & præsertim meritorius, debet dirigi ab actu prudentiæ: opus autem ex conscientia erronea factum ab illo dirigi nequit, cum dictamen erroneum re ipsa falsum sit. Nam *Resp.* Etsi dictamen directum & remotum, quo quis ex principiis directis judicat mendacium esse licitum, falsum sit & speculativè erroneum; ex principiis tamen reflexis formari dictamen reflexum potest practicè verum, & moraliter certum, quo actus voluntatis ultimò & proximè dirigitur, cujusmodi est conclusio hujus syllogismi: Quoties omnibus ritè ponderatis mihi apparet aliquid esse præceptum, toties ad illud faciendum Deus me obligat: sed taliter in his circumstantiis mihi apparet mendacium; igitur Deus ad illud me obligat. Certè major propositio tam certa est, quàm certum est quemque conscientiam invincibiliter erroneam sequi debere: minor autem propositio supponitur possibilis; igitur certa quoque est deducta conclusio. Proinde ista quoque esse potest actus prudentiæ vel naturalis, vel superuaturalis, atque ideo actus voluntatis, sive

volitio mentiendi immediatè subsequens potest esse actus positivè bonus & meritorius. Deus autem in tali casu non approbat mendacium secundum se, sed quatenus est actus dictamini conscientie practice vero & certo conformis. Et quamvis Deus, per se loquendo, non possit non prohibere mendacium; in ista tamen hypothesi *per accidens*, præcipit, quia jubet, ut homo secundum conscientiam suam operetur. Ideoque etiam talis actus procedit à recta ratione *reflexa*, quam pariter comitatur hæc recta ratio directa, quæ est conformis appetitui recto, & bene disposito ad omnem legem Dei implendam. III. Qui habet conscientiam vincibiliter erroneam circa objectum, ad quod se obligari existimat, v. g. mentiendum esse pro salute proximi; peccat tam sequendo, quam non sequendo conscientie dictamen legi dissentaneum. Et quidem peccat sequendo illud, quia error vincibilis, utpote voluntarius non excusat; peccat non sequendo, quia non operatur secundum conscientiam. Quando ratio errans (inquit S. THOMAS I. 2. q. 19. a. 5. ad 2.) proponit aliquid ut præceptum Dei; tunc idem est contemnere dictamen rationis, & Dei præceptum. Neque ideo talis homo necessariò peccat, quia errorem utpote vincibilem deponere valet, ut adeo nulla detur necessitas absoluta sed hypothetica tantùm, eaque voluntaria, à qua homo se liberare potest ignorantiam & errorem abjiciendo. Secus est in casu conscientie invincibiliter erroneæ: in hoc enim cum lex sciri non possit, tenemur ad non operandum difformiter dictamini illius.

Ex dictis iterum fluunt sequentia. I. Homo 94. agens contra conscientiam erroneam se obstringit <sup>Mo-</sup> peccato tali, quale conscientia errans falso dicitur: <sup>nita</sup> nempe conscientia non obligat virtute propria, <sup>pro</sup> sed virtute legis divinæ; ideoque errans obligat per <sup>praxi.</sup> accidens ex virtute divinæ legis, in quantum dicitur hoc tamquam à Deo præceptum. Qui igitur rem suam clam aufert, putans alienam esse, non minus furti reus est, ac si alienam abstulisset. Huiusmodi tamen, qui contra conscientiam erroneam agendo peccant, censuras incurrere non solent. II. Qui ex errore putat gravem esse culpam, quæ in se levis est, re ipsa graviter peccat. Qui verò ex errore vincibili putaret leve peccatum esse, quod in se lethale est; non ideo à mortali culpa excusatur. Secus, si ignorantia invincibilis sit. Si autem conscientia dicitur, actum esse peccatum, quin determinatè iudicet, utrum grave, an veniale sit; habenda est ratio dispositionis animi: si quis enim ita animo comparatus sit, ut actum nunquam poneret, quodsi illum graviter peccaminosum sciret, non censetur talis peccare mortaliter. Secus de alio similem animi dispositionem non habente: hic enim in periculum lethaliter peccandi sese voluntariè conjicit, & vel ideo culpam gravem contrahit. III. Qui ex errore iudicat se teneri ad audiendam Missam, peccat non audiendo, etsi causam habeat legitimam, quæ excuset. Casum dat febris laborans. Si tamen absolutè non posset audire Sacrum, v. g. ob nimiam virium debilitatem, etsi putaret se peccare non audiendo Sacrum; non peccat defectu certati.

95. Officia confessarii. Confessarius triplex officium sustinet, Medici, Judicis, & doctoris: itaque interrogatus ab aliquo, qui invincibili ignorantia laborat, tenetur illi respondere ad quaestionem: an hoc peccatum sit, & quale. Qui enim ita interrogat, jam aliquid in mente dubii habet, ideoque jam non amplius ignorantia invincibili laborat. Stat ista Confessarii obligatio, etsi praesentiat, monitionem poenitentis profuturam non esse; ferè sicut veritates divinae hominibus annunciandae sunt, etiamsi verbi divini praecones praevideant, easdem à pluribus contemptum iri, ut liquet ex facto Apostolorum Judaeis praedicantium. II. Confessarius etiam non interrogatus poenitentem, qui bona fide, & conscientiam invincibiliter erroneam aliquid licere sibi existimat, monere debet, ubi spes emendationis adfulget; aut si ignoret media ad salutem necessaria, etsi nihil commodi ex tali monitione speretur; item si Confessarii silentium in praedivium tertii cedat, veluti in materia restitutionis; vel in detrimentum boni publici, veluti cum Sacerdos Sacramenta administrans, invalidè ordinatus esset. Sunt tamen & casus, licet rari, in quibus ista monendi obligatio cessat, veluti si Confessarius ex confessione nullitatem matrimonii intelligat, & prudens timor subsit, ne ex instructione grave damnum, vel scandalum oriatur. III. Multò itaque magis poenitentes instruendi sunt, si ignorantia vincibili laborent, cum ista à peccato non excuset. Cumque per saepe accidat, ut homines rudes multa pro lethali noxa falso habeant, docere hos Confessarius tenetur, ut poenitentes à peccato liberet. Caetera quod vulgò dicitur: utiliùs permitti, scandalum nasci, quàm ut veritas

veritas relinquatur, tunc obtinet, siquid sine peccato gravi fieri, vel omitti non possit. Ubi autem ignorantia invincibilis est, non datur peccatum formale.

## §. II.

*De Conscientia dubia.*

**D**ubium est suspensio iudicii vel assensus, eo-  
 quod æqualis ferè ponderis momenta in utram-  
 que partem occurrant. Nam dubium negativum  
 potius ignoratio dici debet. Itaque animus cense-  
 tur dubitare, quando inter utramque contradictio-  
 nis partem veluti medius fluctuat. Triplex dubium  
 solet distingui, *speculativum*, quod in intellectu  
 datur circa naturam, substantiam, valorem aut  
 qualitatem rerum, quin ad opus ordinetur; velut  
 si dubites: utrum Angelorum differentia acciden-  
 talis sit, an substantialis; utrum valeat testamen-  
 tum minus solemne non privilegiatum; &c. Du-  
 bium *speculativo practicum*, quod ordinatur ad bo-  
 nitatem, vel malitiam, liceitatem, vel illicitatem  
 actionis, adeoque ad ipsum opus, non tamen  
 omnibus suis circumstantiis vestitum; v. g. an li-  
 ceat iter facere die festo; an in eodem pingere lici-  
 tum sit, vel prohibitum; an licitus sit contractus tri-  
 plex; &c. Denique dubium *practico-practicum*,  
 quod versatur circa opus cum omnibus suis cir-  
 cumstantiis; v. g. an hic & nunc, pensatis omni-  
 bus, liceat pingere die festo. Conscientia dubia  
 propriè in dubio practicè practico sita est, cum du-  
 bium speculativum, aut speculativo practicum non  
 sit conscientia nisi speculativè dubia.

96.  
 Du-  
 bium  
 quid  
 &  
 quo-  
 tu-  
 plex.

97.  
Quid  
liceat  
in du-  
bio?

Certum est, non licere operari cum conscientia practicè dubia, quia quod fit ex hujusmodi conscientia, non est ex fide. Talis igitur peccat pro ratione materiæ & dubii, & in ea specie, de qua dubitat, quia in dubio operans censetur velle peccatum ejusdem speciei, de qua dubitat. Unde S. AUGUSTINUS contra *Donat. c. 5.* inquit: *Efficere, quod incertum est, an sit peccatum; certum peccatum est.* Stante itaque dubio pratico sequi tutius oportet. Quò subintrat illud Juris dictum: *In dubio pars tutior eligenda est, quæ sc. à peccato est remotior;* alioquin operans sese exponit periculo proximo formaliter peccandi; nec umquam satis excludit formidinem rationabilem de inhonestate formali suæ actionis. Quod si neutra pars tuta sit, & agendi detur necessitas, tunc, si dubium deponi nequeat adhibitâ morali diligentia, quod minùs periculosum est, eligi debet.

98.  
Prin-  
cipia  
dire-  
ctiva.

Fieri potest, ut permanente dubio speculativo, dubium practicè deponatur. Ut autem conscientia practicè certa sit dubio speculativo persistente, necesse est, ut concurrat certum aliquod principium, ex quo conclusio, sive conscientia practicè certa deducatur. Mulier ex una parte speculativè dubia est de valore matrimonii bonâ fide initi: ex altera verò parte certa est speculativè, neminem in dubio privandum esse jure suo: atque ex principio hoc certissimo practicè judicat, stante illo dubio reddendum esse debitum marito exigenti, nec de matrimonii valore dubitanti. Item est quis speculativè dubius, utrum rem alienam detineat; & aliunde certus est, in tali dubio potiores esse partes possidentis, nec quemquam propter hujusmodi dubium

re suâ spoliandum esse: quo principio speculativè certo nixus, format sibi conscientiam practicè certam, ad restitutionem sese non obligari. Duo autem principia speculativè certa Autores communiter adsignant. *In dubio factum non præsumitur, sed demonstrari debet. Et: In dubio (Juris) melior est conditio possidentis.* Et de priore quidem satis convenit inter TT, quòd delicta non præsumantur, sed ea adserenti, vel adfirmanti incumbat onus probandi. Hinc speciale est, quod statuitur *cap. 2. de Homicidio*, quòd in dubio factum præsumitur in ordine ad incurrendam irregularitatem. Ceterà si actus principalis est certus, & solùm dubitatur de aliquo requisito, quod quis communiter ponere consuevit, illud quoque adhibitum præsumitur. Ut si quis sciat peccatum aliquod se confessum esse, ac solitum semper, verum de peccatis dolorem elicere; postea autem dubitet, an tunc quoque serio doluerit; rectè præsumit se doluisse, quia quod ordinariè fit, semper fieri censetur, nisi præsumptionem veritas elidat. Præsumptio autem est prudens conjectura ex certo signo proveniens, quæ aliis in oppositum non adductis, pro veritate habetur. Posterius Principium etsi in materia Juris ita apud omnes receptum sit, ut pro foro etiam interno subsistat; in cæteris tamen materiis moralibus non una omnium TT. est sententia: nam alii in his & similibus quæstionibus: an quod agere intendis, peccatum sit, nec ne? an grave sit, an veniale? supposito, quòd adhibitâ sufficiente diligentia in rei veritatem pervenire non possis; pro parte benigniore standum esse existimant, *h. e.* vel peccatum non esse, vel non esse mortale, eoquod in ca-

su ubi non satis constat vel de lege prohibente, vel saltem sub gravi culpa, libertas in possessione sit. Quod etiam nonnulli extendunt ad casum; quo *positivè* dubium est, utrum legi satis jam factum sit, utrum non fuerit abrogata. Alii contra in favorem legis pronunciant, tutioremque partem eligendam esse contendunt, occinentes illud, quod habetur in *cap. 3. de Sponsal.* *In his, quæ dubia sunt, quod certius existimamus, tenere debemus.* Cui autem parti adsentiri fas sit; ex dicendis colliges.

## §. III.

*De Conscientia probabilis.*

99. **O**pinio est adensus prælitus uni contradictionis parti non sine formidine saltem radicali de opposito. *Probabilis* ea est opinio, quæ solidis nixa rationibus, classicisque munita patronis, nulli certo principio, nullique certæ vel conventioni, vel legi, vel censuræ publicæ adversatur. Patet hinc, duplicem esse probabilitatem, *intrinsecam*, quam momentariorum pariunt; & *extrinsecam*, quam alicui sententiæ conciliant Autores, qui eisdem patrocinantur. Quæ tamen eatenus duntaxat movet, quatenus præsumptio stat pro viris doctis, quòd hanc suam opinionem sine gravi ratione non sustinuerint. Potest autem motivum opinionis esse grave vel *absolutè* tantum, & secundum se; vel vel etiam *comparativè*, quando sc. cum rationibus etiam oppositæ sententiæ comparatum, adhuc vim suam retinet; quod tunc maximè fieri potest, si rationes utrimque oppositæ sint disparatæ. *Opinio magis probabilis, aut probabilior est, quæ rationi majoris*

joris momenti innititur, ac opposita. Quæ minoris momenti ratione nititur, *minus probabilis* est. *Aequè probabiles* sunt duæ opiniones, quæ rationibus æqualibus nituntur: *Opinio tenuiter probabilis* dicitur, quæ nititur motivo absolutè levi, quo vir prudens, spectatis omnibus, ad assensum induci nequit. Tandem *unicè probabilis* est opinio, quæ una nititur motivo gravi, ita ut pro parte opposita nulla stet gravis ratio. *Securitas* opinionis sita est in remotione à periculo peccandi: unde *magis tuta* est, quæ operantem magis removet à periculo peccandi, etiam materialiter; *minùs tuta* autem, quæ non ita removet istud periculum, sed magis ad illud videtur accedere. V. g. inter duas sententias oppositas, quarum altera negat licere die festo pingere, altera adfirmat; prior est tutior, quia qui non pingit in die festo, certò non peccat. Hinc generatim opiniones illæ habentur *tutiores*, quæ favent legi contra libertatem; *minùs tutæ* autem, quæ pro libertate stant contra legem. Porro *securitas*, & *probabilitas* opinionum confundi non debent: nam securitas petitur ex remotione periculi peccandi: probabilitas autem ex apparentia veritatis. Quocirca dari potest opinio tutior, quæ sit minus probabilis; & opinio probabilior, quæ sit minùs tuta. Sic opinio docens hominem statim à lapsu teneri ad pœnitentiam, tutior est, at minùs probabilis; opposita verò est minùs tuta, sed probabilior.

α) Aliud est propositionem esse *veram*, & aliud, esse *probabilem*: nam veritas & falsitas sunt proprietates propositionis, non item probabilitas; hæc enim præcisè nascitur ex motivo gravi: unde fieri potest, ut verè probabilis sit propositio secundum se falsa juxta illud: *falsa non raro sunt probabiliora veris*. Itaque probabilis dicitur pro-

posi-

positio non quia vera est, sed quia illius veritas ex motivo gravi nobis apparet: ut adeo probabilitas propositionis sit talis non absolutè, sed relatè ad nostram conscientiam, vel potius relatè ad motivum, quo nititur. Proinde propositio verè nunc probabilis, fieri improbabilis potest, vel quia novæ rationes occurrunt ejusmodi, quæ prioribus oppositæ illas prorsus enervant; vel etiam ex nova definitione Ecclesiæ; vel quoniam fallacia antea latens detegitur. Ex adverso opinio antea improbabilis veram probabilitatem consequi potest, veluti cum nova occurrit ratio gravis & solida, quæ ab oppositis elidi non possit. Sequitur ex dictis: quamvis nemo judicare queat, utramque opinionem ex contradictoriis simul esse veram, alioquin idem simul esset, & non esset; posse tamen virum prudentem judicare, utramque simul esse probabilem, non ex iisdem, sed ex diversis motivis, quibus earum qualibet innititur. Idque obtinet non modò respectu diversorum hominum, ut per se patet; sed etiam respectu ejusdem intellectus; Quoties enim viri doctissimi, cum unam sententiam ceu probabiliorem amplectuntur, alteram esse verè probabilem fatentur?

β) De Ortu & progressu Probabilismi multi etiam ex RR. multa disputant, pluresque paginas implent, non tam (quantum opinari fas est) ut AA commodo studeant, quàm ut antiqua semper Scholæ dissidia foveant. Cur omnes adversus Hæreses, & novas impietates non armanur? cur quod manu altera ædificamus, destruimus altera? verbo tandem & exemplo nostro palam fiat, Doctrinæ Evangelicæ veros nos esse sectatores ac prædicatores.

100. Dictamen ultimum certum. Cùm fat multa hic in disputationem veniant, certa ab incertis & dubiis separanda sunt. Itaque I. Communissima TT. est, quòd ad honestatem actionis dictamen ultimum saltem moraliter certum requiratur, vi cujus homo judicat citra formidinem de opposito, actionem suam, pensatis omnibus, divinæ legi consentaneam, adeoque licitam & honestam esse. Qui enim agit cum dubio practico de honestate,

state, vel inhonestate actionis suæ, peccat; quia periculo peccandi proximo sese exponit; eidem peccati formalis periculo sese obnoxium reddit, qui agit cum dictamine ultimo probabili, aut etiam probabiliore, quia & is prudenter dubitare potest, an actio honesta sit, nec ne; igitur ad honestatem actionis necessarium est dictamen ultimum, sive practicum moraliter certum, quod solum excludit formidinem de opposito, arcetque omne periculum proximum peccandi formaliter.

2) Judicium, sive dictamen rationis 10. aliud est *universale*, sive *speculativum*, quod dictat, quid in genere honestum sit, vel inhonestum; aliud *particulare*, sive *practicum*, quod dictat, quid hic & nunc, spectatis omnibus circumstantiis, licitum sit, aut illicitum. 20. *Remotum*, quod mediatè solum dirigit actum, mediante sc. dictamine propinquiore; *proximum*, sive *ultimum*, quod est immediatè directivum actus. 30. *Certum*, quod ita dirigit actum, ut omne dubium, omnemque formidinem excludat. Triplex autem est certitudo, sc. *metaphysica*, quando impossibile est rem aliter se habere; *physica*, quando res nonnisi per miraculum aliter esse potest; & *moralis*, quando res omnium prudentum judicio ita se habet, ut adeo quis prudenter dubitare nequeat, aut formidare, ne fortassis per hoc dictamen decipiatur. Atque hæc sola ad rectè operandum requiritur: cum enim evidentia, aut metaphysica certitudo sæpius haberi non possint; neque Deus ad hujusmodi dictamen ultimum obligat. Innumera enim quæstiones morales de licito, vel illicito controversæ sunt; proinde dictamen evidens, aut metaphysicè certum ex principiis directis nequit deduci. Sed neque ex reflexis, quia & ista perquam rarò ad evidentiam metaphysicam assurgunt, ideoque principia universalia esse non possunt, unde dictamina ultima petantur.

3) Actus humanus ut moraliter malus sit, non prærequirit dictamen ultimum, quo quis judicet, actum illum in his circumstantiis inhonestum esse, sed sufficit judicium

pro-

probabile, aut dubium practicum de inhonestate illius, quia operans cum huiusmodi dictamine, aut dubio, sciens volensque se exponit manifesto periculo peccandi formaliter. Quis enim à peccato formali excuset hominem, qui practicè dubitans, utrum homo in dumeto lateat, an fera; nihilominus sclopetum exonerat? is namque apertè prodit, eo sese animo esse, ut perinde habeat, hominem, an feram occidat.

ε) Iterum dictamen conscientia aliud *directum* est, quo quis ex principiis directis, *b. e.* absque reflexione super aliud principium, dubium, vel ignorantiam iudicat, se hic & nunc honestè agere; *v. g.* Rem alienam cogor restituere; aliud *reflexum*, quo quis ex principiis reflexis, sive factâ reflexione super aliud principium, dubium, vel ignorantiam iudicat se hic & nunc licitè, vel illicitè operari; *v. g.* cum ignorem hunc fundum alienum esse, & melior sit possidentis conditio, illum licitè retineo. Utrumque hoc dictamen est tale vel *sine modo*, dum simpliciter & absolute dictat, aliquid licitum, vel illicitum esse; vel *cum modo*, quando pronunciat aliquid probabiliter, vel probabilius, vel certò licere, aut non licere.

*Si ais* I. Operans ex iudicio probabili agit prudenter; igitur non peccat. *Resp.* Qui agit immediatè ex iudicio probabili, potest prudenter formidare, ne actio sit inhonesta, ob gravem rationem, qua nititur alius, eandem actionem iudicans illicitam esse; igitur prudenter non agit. Necessarium itaque est iudicium practicè certum de honestate actionis. Nempe ut quis in *genere morum* prudenter agere censeatur, necesse est, ut nullam habeat formidinem rationabilem (inanes enim, & non fundatæ formidines sæpius deponi nequeunt, & tam parum nocent honestati actionis, quàm parùm actui fidei obstant leves & indeliberati motus dubitationis (qui tamen extra actum fidei sunt) de inhonestate formali suæ actionis.

*Si ais II.* Qui saltem probabilius practicè iudicat se honestè hic & nunc agere, licitè operatur, quia facit totum id, quod in se moraliter est, ut vitet peccatum. *Resp.* Neque is, nisi aliud iudicium reflexum accesserit practicè certum, prudenter & honestè operatur, quia nec iudicium practicum probabilius excludit formidinem rationabilem de opposito. Igitur rectè statuit ita discurrendo; adhibitâ sufficienti diligentiam nullum adverto periculum peccandi, nullam legem hujus actionis prohibitivam; quo in casu ex virorum prudentum iudicio quis licitè operatur; igitur & ego nunc honestè ago. Patet hinc, licet taliter operans vi iudicii directi & speculativi certus non sit de honestate actionis, nam motivum probabilius non est ratio certa pro honestate actionis; est tamen certus ex vi iudicii reflexi & practici, ideoque prudenter agit, quia non est, cur rationabiliter timeat periculum peccati formalis.

*Si ais III.* Igitur nunquam licet sequi conscientiam probabilem, immo nec sententiam probabilissimam. *Resp.* Nec sententia probabilis, nec probabilissima potest esse regula *ultima & immediata* nostrarum actionum, hæc enim debet esse certa certitudine saltem morali, quæ nasci potest ex iudicio reflexo: si istud operans habere non possit, abstinere debet ab actione. Meritò autem damnata est hæc *prop. 3.* ab ALEXANDRO VIII. *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*, hanc enim, ut notat VIVA in *h. l.* Tutiorismi sectatores ex *Fansenii* penu depromptam in medium protulerunt, ut omnem penè viam ad salutem intercluderent, ob moralem impossibilitatem adsequendi semper,  
quod

quod est tutissimum. Hi itaque docent nunquam licere sequi opinionem libertati faventem adversus aliquam legem, tametsi ea probabilissima sit, & communiter recepta, aut etiam moraliter certa, sed partem tutiorem semper eligendam esse. Dicitur autem sententia probabilissima, quæ validissimo fundamento nititur, habetque pro se suffragium plurimorum sapientum.

*Si ais IV.* In moralibus nequit sæpius haberi certitudo moralis, præsertim à rudibus, qui cum honeste operantur, neque habent, nec facile habere possunt dictamen ultimum moraliter certum: Unde enim dictamina hujusmodi sibi faciant, quibus reflexiones prorsus incognitæ sunt? *Resp.* Operans vel ex principiis reflexis habere certitudinem moralem debet, ut actio honesta sit; vel ab operando abstinere. Ad rudes quod attinet: etiam isti interrogati: cur hoc agendo non peccent? respondere solent, se ideo non peccare, quia agunt quod sibi licere prudenter existimant; quod ipsum est dictamen ultimum moraliter certum, quia actionem suam ita licitam censent, ut nullam prorsus de inhonestate formidinem habeant. Pæssæpe etiam ad Parochi autoritatem, ad aliorum prudentum, & timoratorum hominum dicta provocant.

*Si ais V.* Dictamen reflexum fundatur in directo; ergo illud æque parum, ac istud fundare certitudinem moralem potest. *Resp.* Judicium directum est quidem præsuppositum ad reflexum, non tamen est motivum: nam motivum judicii reflexi est aliud principium reflexum, v. g. Cum in moralibus sæpius nequeat haberi certitudo de honestate actionis secundum se, idcirco in praxi certò licitè

licite tenemus illud, quod spectatis omnibus apparet licitum, nec ullâ lege prohibitum. Hinc etiam certitudo moralis, quæ facit, ut quis prudenter & licite agat, non profluit ex dictamine directo, & reflexo simul, sed ex principiis reflexis moraliter certis unice fluit; nam dictamen directum neutram præmissarum constituit, ex quibus deducitur iudicium practicum moraliter certum ultimo directivum actionis humanæ. Equidem iudicium probabile directum, & reflexum moraliter certum inter se non pugnant; neque tamen idem omnino sunt, nequidem ex objecto; nam istud versatur circa objectum ut ponendum in his circumstantiis, & quatenus jam substat dictamini directo; cum directum attingat objectum secundum se. Et num repugnantia sit: actio secundum se probabiliter videtur esse illicita: & actio in his circumstantiis certò apparet licita? nonne mendacium ex se illicitum, certò licitum est ut substans ignorantie invincibili? potest nempe idem objectum secundum se spectatum, & ut cognitioni nostræ substans ex diversis motivis licitum & illicitum apparere.

Certum est II. (Num. 100.) Ministrum Sacramenti in iis, quæ ad valorem spectant, per se loquendo, teneri partem tutiorem sequi, etsi minus tuta sit probabilior. Liquet ex prop. I. ab INNOCENTIO XI. anno 1679. confixa: *Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententiâ probabiliori tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.*

Nempé 1<sup>o</sup>. non levis irreverentia fit Sacramento, ubi quis sequendo opinionem probabilem de illius valore, relictâ tutiore, illud periculo nullitatis exponit. 2<sup>o</sup>. Peccatur contra charitatem proximo debitam; quia hic exponitur periculo gravis damni spiritualis, quin hoc per iudicium probabile, si hoc fortassis re ipsa falsum sit, impediri queat. 3<sup>o</sup>. Quin etiam læditur jus suscipientis, quod habet, ut Sacramentum validè sibi administretur, præsertim si Minister ex officio administret; proinde contra iustitiam quoque peccatur. Immo & quivis alius Minister saltem ex quasi contractu tenetur; ac proinde Iustitiam læderet.

102. III. Similiter Judex in ferenda sententia probabiliorem sequi debet, quin juxta probabilem pronuntiare possit. Constat ex *prop. 2.* ab eodem Pontifice damnata: *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.* Nimirum Judex ex pacto saltem tacito cum Republica tenetur ferre sententiam juxta merita causæ, adjudicando rem illi, cui leges amplius favent. Idem à Principe, vel à Republica constituitur, ut diligenter inquirat in veritatem, proque ea pronunciet; igitur in veritate investiganda, atque in ferenda sententia viam securiorem ingredi debet, non minùs, ac Medicus, Pharmacum securius adhibere tenetur. Peccat itaque pronuntiando juxta probabilem, simulque ad restitutionem tenetur, quia re ipsa lædit jus strictum alterius. Si tamen leges utrique parti æqualiter favent, & ipse judex æqualiter favere debet.

103. IV. Medicus quoque opiniones certas, aut his deficientibus, probabiliores & securiores amplecti tenetur,

tenetur, non modò ex lege charitatis, quæ jubet meliore modo juvare proximum extremè indigentem; sed etiam ex lege justitiæ propter tacitum & implicitum pactum, quod æger cum Medico inire censetur hoc ipso, quòd eidem se curandum committat, atque hic illius curam suscipiat, & quidem eâ lege, ut medicinas salubriores adhibeat, si hic & nunc haberi possint. Si fortassis æger non habeat sufficientes sumptus ad medicinas hujusmodi certiùs profuturas sibi comparandas, obligatio ista non videtur in pactum deducta.

V. Extra dubium quòque est licere sequi opinionem magis tutam, quæ favet legi contra libertatem, etsi nequidem verè probabilis sit, quia operans juxta illam nulli prorsus peccandi periculo sese exponit. Item licitum esse sequi sententiam minùs probabilem & tutiorem, relictâ probabiliore & minùs tuta, quia pariter ita operans non formale duntaxat peccatum declinat, sed à materiali etiam longius abest. Quæ autem in disputationem veniunt, sunt sequentia. 1<sup>o</sup>. Utrum in operando liceat sequi sententiam probabiliorem minus tutam? 2<sup>o</sup>. An, cum duæ sententiæ contrariæ sunt æque probabiles, teneamur sequi tutiorem? 3<sup>o</sup>. An teneamur sequi sententiam tutiorem, faventem legi, quando etiam est probabilior, relictâ minus tutâ, & minùs probabili?

## §. III.

*De Tutiorismo.*

**T**utiorem partem in moralibus præoptandam esse, nec licere minùs tutam amplecti, etsi ista

§ 2

105.  
Tutioris-  
mus.

ista multò alterà probabilior sit; voluere *Joannes Baptista Sinnichius in Saule exrege*, *Guilielmus Wendrockius (Petrus Nicolle ex vero nomine)* in not. ad ep 5. *Provinc. Arnaldus*, aliique, idcirco *Tutiorista* nuncupati. Ad coercendum hunc nimium Tutiorismi rigorem ALEXANDER VIII. P. M. damnavit hanc Sinnichii propositionem: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.* Id nimirum agebant istiusmodi *Rigorista*, ut, cum quæ vel in Sacris Literis, vel in Ss. PP. monumentis, vel in Sacris Conciliis *per modum consilii* Fidelibus tradita sunt, *præceptorum* habere vim adfirmarent, ideoque viâ semper tutissimâ incedendum esse prædicarent. Istud autem quid est nisi onus Christi leve, & jugum suave reddere omnino intolerabile, viamque, quæ ducit ad vitam, non arctam, sed prorsus imperviam delineare. Vires certè humanas superat in rebus moralibus adsequi semper, quod tutius est, atque adeò perfectius. Nec mirum, doctrinam hanc perquam familiarem esse sectatoribus *Fansenii*, cujus prima ex quinque propositionibus tamquam hæreticis damnatis ista erat: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, volentibus & conantibus, secundum præsentem, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, quâ possibilia fiant.* Oppositum testatur continua SS. PP., Rom. Pontificum, Doctorum, aliorumque Fidelium praxis, qui neque semper secuti sunt, nec sequuntur, immo nec sequi facilè partem tutiorem possunt, ubi contraria multò probabilior est. Et quidem Pontifices non semel dispensarunt in voto solemni castitatis, in matrimonio rato, quia id se facere posse probabilius.

Ius iudicabant, etsi non relaxare vota huiusmodi tutius esset. Apud Doctores plurimos recepta est S. THOMAE sententia, videlicet non teneri peccatores statim post culpam agere poenitentiam. Fideles ad Sacram Synaxin accedunt, quamvis de statu gratiae moraliter certi non sint. Nempe cum sententia aliqua probabilissima est, aut probabilior, etsi minus tuta; haud difficile est, ex principiis reflexis moraliter certis conclusionem moraliter certam, quae ipsa est regula actionis immediatè directiva, deducere. v. g. Illud prudenter & licitè ago, quod viri gravissimi, doctrinâ & pietate conspicui, ex multis gravibusque momentis licitum esse existimant semper, & etiamnum arbitrantur: sed ita res se habet circa actionem, à me hic & nunc ponendam; ergo illam licitè & honestè pono. Ad honestatem verò actionis sufficere moralem certitudinem ex eo ulterius liquet, quia ista omnem prudentis formidinis actum excludit.

*Si ais:* Probabilissimam tunc solum licet sequi ex mente Pontificis, cum illa favet legi, & tutior est; vel quando pars utraque subest periculo peccati materialis, ac neutra simpliciter tuta est, v. g. quod possit Iudex damnare illum, qui secundum allegata & probata est reus, quamvis privatâ notitiâ sciat illum esse innocentem. *Resp* Pontifex damnavit istam propositionem in eo sensu, quo damnari debuit, sc. in quo *Sinnichius* aliique *Tutioristae* eam docuerunt, existimantes, tutiorem partem semper eligendam esse, atque adeo partem faventem legi, quamvis pars libertati favens sit probabilissima, aut etiam moraliter certa; v. g. contritionem in Sacramento Poenitentiae adhibendam esse, non verò attritio-

nem; esto moraliter certum sit, quòd attritio sufficiat. Differt tamen opinio *probabilissima* à *moraliter certa*, quòd illa tot habeat pro se rationum momenta, ac tantà Doctorum autoritate muniatur, ut inter opiniones probabiles principem locum obtineat, intra fines tamen probabilitatis se continens, neque omnem etiam levem formidinem prorsus excludens, sicut ea, quæ moraliter certa est. Certitudo tamen moralis, quia in indivisibili non consistit, idcirco supremus gradus probabilitatis attingere potest gradum infimum certitudinis moralis.

a) Ortum & progressum *Jansenismi* paucis sic habet, primus huic sectæ prævit *Michael Bajus*, sive *de Bay*, *Melini* in Belgio natus anno 1513. subin Lovaniensis Academiae doctor, Decanus, & Cancellarius, vir quidem ingenio & doctrina pollens, sed in novitates justo pronior. Hinc anno 1551. novos errores tum voce, tum scriptis, unà cum *Joanne Hesselio*, itidem Lovaniensi Doctore cepit disseminare. Ejus errores per solennem constitutionem: *Ex omnibus afflictionibus*, die 1. Octobr. ann. 1567. damnavit PIUS V. P. M. Hanc constitutionem eodem anno 23. Decembris sibi prælectam ea, qua decuit, reverentia suscipere Lovanienses Doctores, uno excepto *Bajo*, qui anno mox sequente apologiam suarum opinionum ad Pontificem misit. Hic verò re maturè expensâ, datis ad *Bajum* anno 1569. literis priorem Constitutionem confirmavit, eumque ad damnatos errores ejurandos paternè cohortatus est. Verùm cum sive *Bajus*, sive ejus *Afflectæ* non adquiescerent, GREGORIUS XIII. nova Constitutione, anno 1579. die 1. Febr. quæ incipit: *Provisionis nostræ*, Constitutionem PII V. confirmavit, misitque *Franciscum Toletum*, qui Bullam illuc deferret, promulgaretque, & *Bajum* ad canendam palinodiam permoveret. Hujus privatis colloquiis eo tandem inductus est *Bajus*, ut anno 1580. recitata in frequentissimo Academiae consessu Papæ Constitutione, agnosceret, multos è suis Articulis

ticulis per illam damnari, & quidem *in sensu à se intento*, eosdemque palam his verbis damnaret: *Damno secundum Bullæ ipsius intentionem, & sicut Bulla damnat.* Post hæc constans in sana doctrina perstitit usque ad mortem, quam oppetiit anno 1589.

β) Non eadem fuit in *Baji* discipulis obsequendi promptitudo. Hi namque post illius obitum litem suscitaverunt, pridem ab illo motam, de famoso commate (*Vid. Tract. de Fide.*) seu virgula in Constitutione *Pii V.*, uti contendebant, transposita. Etenim cum Pontifex in ista Bulla post enumeratas *Bajanæ* propositiones 79, ita concluderet: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quamquam earum nonnullæ aliquo pacto sustineri possent, in rigore, & proprio sensu ab Assertoribus intento, hæreticas, erroneas &c. damnamus; Bajani volebant illud comma, quod post sustineri possent adjicitur, poni debere post hæc verba: in rigore & proprio verborum sensu, ita ut sensus esset, nonnullas earum propositionum in rigore & proprio sensu ab assertoribus intento sustineri posse.* Atque ita legi aiebant in quibusdam exemplaribus. Hinc ulterius inferebant, quod, cum Pontifex nullam determinet, quæ in rigore & proprio verborum sensu ab assertoribus intento sustineri non possit, nulla pariter determinatè sit ex illis, quæ in isto etiam sensu nequeat sustineri. Verùm hanc frivolam cavillationem infregit *URBANUS VIII.* data anno 1641. Bulla: *In Eminentissimo, Constitutionem Pii V. confirmans, ejusque verba repetens, comma controversum apponendo post rō possent, ejusdemque Piana Constitutionis exemplar Romæ recudi fecit, & authenticè consignari; declaravitque Sacra Congregatio Cardinalium 6. Decembr. ejusdem anni, attendendum ad exemplar, quod Romæ excusum est, non verò ad illa, quæ aut Colonia, aut Parisius sunt expressa.*

γ) *Bajanam* doctrinam *Jansenius Yprensis Lovanii* primum hausit à *Jacobo Jansonio* doctrinæ *Bajanæ* strenuo propugnatore: *Lovanio* dein *Luterian.*, ac postea *Bajanam* digressus *Jansenius* familiariter usus est *Joanne Vergerio*, sub famoso nomine *Abbatis San-Cyran* notissimo, novis opinionibus jam infecto, à quo profundius venenanti

imbibit. Ex Gallia *Lovanium* redux, Laurea doctoratū ornatus fuit, ac paullo post Regius Sacrarum Literarum Professor institutus; tandem ad *Yprenses* Insulas à Rege Hispaniæ anno 1636. promotus, expleto vix biennio, lue, quæ ibidem grassabatur, extinctus est 1638. Librum conscripsit, in quo jactitabat se puram *S. Augustini* doctrinam à quingentis annis à Scholis Catholicis exulem revocasse; ideoque liber iste ab eodem *Augustinus* fuit inscriptus. Eundem librum manuscriptum moriturus supremis tabulis legavit Capellano suo, *Reginaldo Lamæo*, eam tamen lege, ut hic cum *Liberto Fromondo*, Lovaniensi Doctore, & *Henrico Galeno*, Mechliniensi Canonico conferret, disponderetque de editione quàm fidelissimè. Quamvis autem iisdem in tabulis dicat, sentire se, aliquid in eo libro difficulter mutari posse, mox subjungit. *Si tamen Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum mortis obediens sum.*

2) Vix morte diem supremam clauserat *Fansenius*, cum evulgato ejus volumine, Novatores, præsertim *Calvinista*, triumphum canere cœperunt, quasi doctrina illorum de libero arbitrio & gratia in eodem contineretur. Unde **URBANUS VIII.** opus illud, prævio examine, per Bullam *In Eminenti*, 4. *Maji* anno 1641. editam, damnavit velut continens propositiones jam olim damnatas. Cumque eodem anno Romam venissent *Joannes Sinnichius*, & *Cornelius Papius*, duo Lovanienses Doctores à *Fansenii* fautoribus missi, à Pontifice id precibus impetraturi, ut Bullam vel revocaret, vel mitigaret; **URBANUS** adeo nihil ipsorum precibus detulit, ut Formulam ad Internuncium suum in Belgium miserit, cui Doctores omnes Lovanienses subscriberent, & illi Bullæ obedientiam sponderent.

3) **URBANI VIII.** Prædecessoris sui Bullam pluribus ad diversos Brevibus confirmavit **INNOCENTIUS X.** Sed cum nihilominus serperet pestis, Galliamque turbaret, plurimi Regni hujus Episcopi, numero 85. dedere literas ad eundem Pontificem, quibus rogabant, ut de quinque propositionibus ex *Fansenii* libro excerptis certam sententiam ferret,

ferret. INNOCENTIUS instituto per integri biennii spatium maturo examine, divinoque auxilio per publicas preces sapius implorato, definitivam tandem sententiam tulit, edita anno 1653. Constitutione: *Cum occasione impressionis Libri*, in qua famosas quinque *Jansenii* propositiones tamquam hæreticas pronuciavit. Ista Constitutio in Galliam missa, jussu Regis in toto Regno promulgata, & ab Episcopis congregatis solemni ritu excepta fuit; idemque Pontificio Decreto obsequium in reliquis orbis Catholici partibus fuit exhibitum.

8) *Jansenista* cum viderent illas propositiones damnatas; ad alia sese studia convertebant, contendebantque illas in *Jansenii* libro non reperiri. Cumque hæc quoque via ipsis præclusa esset datis ab *Innocentio X.* anno 1654. literis ad Episcopos Galliarum, quibus declarabat, damnatam fuisse in 5 propositionibus doctrinam in *Jansenii* libro contentam, cui titulus, *Augustinus*; dixerunt postea, propositiones istas non esse damnatas *in sensu à Jansenio intento*; neque ita damnari à Pontifice potuisse, cum ea sit *Quæstio facti*, quam nec Pontifex, nec Ecclesia decidere possit. Ideoque Jansenismum non esse nisi purum phantasma, utpote in sola Pontificis mente, eique adærentium existentem.

9) Inane hoc effugium denuo sustulit ALEXANDER VII. *Innocentii* Successor, edita anno 1656. Constitutione: *Cum ad Sanctam B. Petri Sedem*, declarans ac definiens, propositiones è *Libris Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio intento damnatas fuisse, & à se iteratò damnari.* Insuper anno 1664. edita nova Bulla: *Regiminis Apostolici*, novam Formulam præscripsit, ab omnibus, Clericis præcipuè, & ad Sacros Ordines promovendis subscribendam: Huic subscribere nolentes ex metu poenarum à Rege intentatarum in Hollandiam, aut Belgium se receperunt.

9) Atque inter cæteros etiam *Paschasius Quesnellus*, Oratorii Presbyter, *Aureliam* primùm secessit, inde anno 1685. in Belgium profugit ubi *Bruxellis* socium se junxit famoso *Antonio Arnaldo*, Doctori Sorbonico, sed ob contumacem perversorum dogmatum

defensionem e Sacra Facultate Parisiensi ejecto, easque ob causas in Belgium profugo, atque eo tempore Jansenianæ Factionis Antesignano. *Arnaldo* anno 1704. vita functo, caput amplius extulit *Quesnellus*, & Jansenianos errores, velut jam illius Sectæ dux supremus per Orbem disseminare non destitit, editis variis libris, quos inter celebrior fuit, quem Gallicè edidit, cui titulus: *Novum Testamentum gallicè cum reflexionibus moralibus super quemlibet articulum*. Tertia hujus Operis editio anno 1699. innovata complectitur propositiones 101, quas damnavit anno 1713. CLEMENS XI. per solemnem Constitutionem: *Unigenitus Dei Filius*. Bullam hanc totus Orbis Catholicus reverenter accepit, & in ipsis etiam Cleri Gallicani Comitibus idem præstiterunt anno 1714. Episcopi XL. duce Cardinali *Armando de Roban*, quorum sententiæ annuens Rex *Ludovicus XIV* Edictum pro Bullæ observatione expediri jussit, quam & receperunt plerique alii Galliæ Episcopi, & Universitates.

c) Falleris tamen, quodsi *Jansenistarum* nomine hodie intelligas eos, qui famosas 5. propositiones pertinaciter defendunt. Aliud longè est, quod hujus nominis homines sibi propositum habent, propositum, inquam, Ecclesiæ & Religioni Catholicæ tantò funestius, quanto studiosius sub Catholicorum & pietatis nomine occultatur. Istud nempe jam inde ab anno 1621. eorum institutum est, ut omnem Hierarchiam Ecclesiasticam, usum omnem Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, De Verbo Dei Incarnato ac Redemptore Fidem, Religionem revelatam omnem, & Ecclesiam convellere, pessumdare moliantur. *Quam in rem legi meretur Veritas Concilii Burgofontani, ex ipsa hujus executione demonstrata.*

## §. IV.

*De Conscientia probabili tutiore, in concursu æque probabilis minus tuta.*

106. **P**osse hominem sequi tutiorem, cum duæ sunt  
Sen. opiniones contrariæ æque probabiles, ipsi,  
Sentia quos vocant, *Probabilistæ* fatentur: teneri autem  
quem-

quemvis, in materia morum videlicet, ut tutio- adfir-  
rem in tali casu sequatur, fat multi defendunt: mans.  
cùm enim isto in concursu opinionum æque proba-  
bilibus res dubia sit; (nec enim minùs in æquili-  
briò sunt duæ oppositæ lances in libra, si nullis,  
quàm si æqualibus utrimque ponderibus preman-  
tur) tutior pars eligenda est ex juris Canonici præ-  
scripto. Sic enim statutum legimus *cap. Juvenis,*  
*de Sponsalib.* *Quia igitur in his, quæ dubia*  
*sunt, quod certius existimamus, tenere debemus. Et*  
*Cap. ad Audientiam, de homicid.* *Cùm in dubiis*  
*semitam debeamus eligere tutiorem, &c.* Atque  
hanc regulam sequi duas Congregationes Romanas  
*Concilii, & Pœnitentiariæ* in suis casuum consci-  
entiæ decisionibus, testatur Cardin. PETRA de Sacra  
Pœnit. Apost. c. 9. Eamdem fuisse ajunt senten-  
tiam Ss. AUGUSTINI & THOMAE: & prior quidem  
L. I contra *Donat.* c. 3. quærens: an peccaret,  
qui Baptismum à Donatistis reciperet, dubitans,  
licite, nec ne, ipsi baptizent, cùm tamen aliunde  
certus sit in Ecclesia Catholica licite Baptismum  
administrari; ita quæstionem decidit: *Etiam si du-*  
*bium haberet, non illic rectè accipi quod in*  
*catholica rectè accipi certum haberet, gravi-*  
*ter peccaret in rebus ad salutem animæ per-*  
*tinentibus vel eo solo, quòd certis incerta præ-*  
*ferret.* Posterior autem in *Quodl. 9. a. 15.*  
ita statuit: *Omnis quæstio, in qua de peccato mor-*  
*tali quaritur, nisi expressè veritas habeatur, pe-*  
*riculosè determinatur, quia error, quo non cre-*  
*ditur esse peccatum mortale, quod est peccatum*  
*mortale, conscientiam non excusat à toto, licet*  
*fortè à tanto.* Ex ratione ita discurrunt hujus sen-  
tentia

tentiæ patroni: ut quis in operando à culpa vacet, debet habere iudicium, seu dictamen practicum conscientiæ saltem moraliter certum de honestate actionis: qui verò sequitur minùs tutam opinionem, relictâ tutiore æque probabili, dictamen huiusmodi prudenter sibi formare non potest: non ex principiis directis, quæ dubia sunt, neque ex principiis reflexis, quia & ista, si probabiliorismus saltem probabilis est, non undequaque certa, sed ad summum probabilia & dubia esse possunt, adeoque ex his repeti nequit iudicium, sive dictamen practicum moraliter certum de honestate actionis. Denique Systema probabilisticum omnino novum est, & Patribus ac TT. antiquioribus incognitum, & vel ideo respuendum. His alii sequentes adjiciunt rationes, videlicet: Qui in concursu duarum opinionum æque probabilium sequitur minùs tutam faventem libertati contra legem, non custodit Dei mandata ex toto corde, *h. e.* quantum scit, & moraliter potest. Præterquam quòd hæc sententia dilatet viam, quæ ducit ad vitam, quam Christus dixit arctam & angustam. Neque operans ex conscientia æque probabili minùs tuta excusari potest per ignorantiam, quæ tunc invincibilis non est. Immo cum pars utraque contradictionis est æque probabilis, neutra est propriè & expeditè probabilis, quia neutra meretur assensum tamquam vera.

*Respondent alii ad Imum, Casus in Sacris Canonibus expressos esse speciales, qui ad omnem materiam morum extendi non debeant. Sic in cap. Juvenis 3. de Sponsalib. ait EUGENIUS P. Quia igitur in his, quæ dubia sunt (Nempe Juvenis, qui puellam nondum septennem duxit, quamvis ætas re-*  
*pugna-*

pugnaret, ex humana tamen fragilitate forsitan tentavit, quod complere non potuit) quod certius existimamus, tenere debemus: tum propter honestatem Ecclesiæ, quia ipsa conjux ipsius fuisse dicitur; tum propter prædictam dubitationem: mandamus, quatenus consobrinam ipsius puella, quam postmodum duxit, dividas ab eodem. Similiter in cap. Ad Audientiam 12. & cap. Significasti 18. CLEMENS III. & INNOCENTIUS III. voluere, ut Sacerdos in dubio de homicidio patrato abstineret à celebratione Missæ, ob peccatum scandali inde nascituri. Cùm in hoc casu sit tutius cessare, quàm temere celebrare, pro eo quòd in altero nullum, in reliquo verò magnum periculum timeatur. Pariter HONORIUS III. Pelagio Presbytero dubitanti, utrum in conflictu aliquem occiderit, ita respondet in cap. Petitio tua 24. ibid. Unde cùm pro eo, quòd aliquos percussisti, irregularitatem metuas incurrisse: Mandamus, quatenus si de interfectione cujusquam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à ministerio altaris abstineas reverenter: cùm sit consultius in hujusmodi dubio abstinere, quàm temere celebrare. Igitur in istis casibus duæ erant peculiare rationes, cur Pontifices tutius eligendum esse decernerent, videlicet periculum scandali, & reverentia Ss. Missæ Sacrificio debita. In cap. 5. de Cleric. excomm. INNOCENTIUS III. rectè ait: Quia in dubiis via est eligenda tutior, etsi de lata in eum sententia dubitaret; debuerat tamen potius se abstinere, quàm Sacramenta Ecclesiastica pertractare. Nempe Episcopus Hildeshemensis Ecclesiam Herbipolensem occupaverat, ideoque Pontifex Episcopo Magdebur-

deburgensi in mandatis dederat, ut nisi intra 20. dies ab Herbipolensis Ecclesiæ administratione cessaret, eum excommunicatum publicè nunciaret. Nihilominus Herbipolensis post latam excommunicationis sententiam divina tractare non desistit, se postea excusans, quòd dubitasset, utrum sententia in se legitimè pronunciata esset, eoquod Magdeburgensis, Episcopus non esset Judex ipsius ordinarius. At certè poterat scire, si requisivisset; igitur error erat vincibilis, & dubium vincibile, quo stante vel actio omitti debet, vel tutior pars eligi. Quod dicitur in Clementina: *Exivi*, de V. S. ubi CLEMENS. V. à FF. Minoribus interrogatus, utrum sub peccato mortali tenerentur ad ea, quæ in Regula exprimentur verbis imperativi modi? respondit: *Nos itaque, quia sinceris horum conscientiis delectamur, attendentes, quòd in his, quæ salutem animæ respiciunt, ad evitandos graves remorsus conscientiæ, pars securior est tenenda, dicimus, ad omnes Fideles extendi non debet ob rationis & status disparitatem. Nempe FF. illi Minores Regulam S. Francisci jam professi fuerant, ideoque illa, ejusve rigor in possessione jam erat, ut adeò, superveniente dubio, pars tutior eligenda foret, quoadusque dubium ex declaratione Sedis Apostolicæ, quæ consuli & poterat, & debebat, deponeretur. Certè Religiosi ipsius non est, Regulam suam pro libitu interpretari.*

*Ad 2dum.* Si verum est, quòd ambæ illæ Congregationes juxta tutiorem partem semper, & in quovis casu decidant; id ipsum veri *Probabilistæ* in praxi communissimè faciunt, de *consilio* tamen, non autem de *præcepto* existimantes tutio-

ra sequi in salutis negotio oportere. Aut si vis, etiam de *præcepto*, in casibus videlicet expressis, & quodocunque lex sciri potest, ac debet, ut adeo dubium speculativum vincibile sit, vel dubium practicum sufficienter deponi nequeat.

Ad 3<sup>tium</sup>. Cui TT. non displiceat abusus auctoritatis S. *Augustini*? in I. c. L. I. cit. ostendit S. P., valere Baptismum tam extra, quàm intra Ecclesiam Catholicam collatum. In 2. c. reprehendit *Donatistas*, quòd in schismate Baptismum conferant, simulque eos, qui cum in Ecclesia Catholica accipere Baptismum possent, nihilominus eligunt in schismate baptizari. *Siquem fortè coëgerit extrema necessitas, ubi Catholicum, per quem accipiat, non invenerit; & in animo pace catholicâ custoditâ, per aliquem extra unitatem catholicam positum acceperit, quod erat in ipsa unitate catholica accepturus, si statim etiam de hac vita migraverit, non eo nisi catholicum deputamus.* Siquis autem cum possit in ipsa catholica accipere per aliquam mentis perversitatem eligit in Schismate baptizari, etiamsi postea venire ad Catholicam cogitat, quia certus est ibi prodesse Sacramentum, quod alibi accipi quidem potest, prodesse autem non potest (sc. in schismate) procul dubio perversus & iniquus est, & tanto perniciosius, quanto scientius. Ita enim non dubitat rectè illic accipi, sicut non dubitat illic prodesse etiam, quod alibi acceperit. Tum caput 3. ita orditur S. P.: Duo enim sunt, quæ dicimus, & esse in Ecclesia Baptismum, & illic tantùm rectè accipi: utrumque horum *Donatistæ* negant. Item alia duo dicimus esse apud *Donatistas*, Baptismum, non autem illic rectè accipi. Horum duo-

duorum unum illi magnopere adfirmant, id est esse ibi Baptismum; non autem illic rectè accipi, nolunt fateri . . . Quisquis ergo vult baptizari, & certus est, jam sibi nostram Ecclesiam ad Christianam salutem esse diligendam, & in ea sola illi prodesse Baptismum Christi, etiamsi alibi acceptum fuerit; sed ideo in parte Donati vult baptizari, quia esse ibi Baptismum non illi soli, neque nos soli, sed utrique dicimus, attendat alia tria . . . Hic ergo (in Ecclesia Catholica) securus accipiat (Baptismum) ubi & esse, & accipere rectè certus est; illic autem (apud Donatistas) non accipiat, quod esse quidem ibi dicunt, sed ibi accipiendum esse non dicunt, quorum sententiam decrevit eligere. Quamquam etiamsi dubium haberet non illic rectè accipi, quod in Catholica rectè accipi certum haberet, graviter peccaret in rebus ad salutem animæ pertinentibus, vel eo solo, quia certis incerta præponeret. Rectè quippe hominem in Ecclesia Catholica baptizari eo ipso certus est, quia etiam alibi baptizatus huc transire decrevit. Non rectè autem apud Donatistas hominem baptizari ad salutem incertum habet, cum hoc illi dicant quorum sententiam Donatistis antepo-  
 æendam esse certum habet. Talis itaque homo, de quo S. P. loquitur, certus est rectè accipi Baptismum, apud Catholicos, incertus autem, utrum rectè accipiatur apud Donatistas: apud hos igitur Baptismum accipiendo, certis incerta præponit; cumque res sit maximi momenti, quis neget eum graviter peccare? sed quis unquam Probabilistarum dixit, certis incerta præponi posse, & tunc quidem, ubi certitudo *subjectiva* est, veluti in casu  
 posto?

posito? adeo ipse, quem vocant, Quæstionis status ignoratur.

Ad 4<sup>am</sup>. Quod si verba S. THOMÆ, prout jacent, accipienda sunt, petitur meritò à Probabilioristis: utrùm expressè habeatur veritas, ubi sententia probabilior est? nonne falsa sæpe sunt probabiliora veris? in rebus moralibus quis expressam veritatem desideravit unquam, ut actio licita & honesta censeatur? 2<sup>o</sup>. Si nullus error excusat conscientiam à toto, igitur nec error invincibilis excusat, quod apertò falsum est. Igitur ex certis TT. principiis is duntaxat error conscientiam non excusat à toto, qui vinci potest, ac debet. 3<sup>o</sup>. Ait itaque S. Doctor, plures habere præbendas repugnare Statuto Synodi VII. Generalis, ideoque peccare graviter illum, qui citra expressam Ecclesiæ dispensationem plures obtinet; neque excusari per errorem, quo non creditur esse peccatum mortale, quia error hujusmodi vincibilis est; nam subjungit: *præcipue autem periculosum est, ubi veritas ambigua est, quòd in hac quæstione accidit.* Sub finem tamen ulteriùs mentem suam sic aperit: *Sunt verò quaedam actiones, quæ absolute considerata deformitatem, vel inordinationem quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur . . . In numero harum actionum videtur esse, habere plures præbendas: quamvis enim aliquas inordinationes contineat, tamen aliæ circumstantiæ possunt supervenire ita honestantes acti, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuantur, veluti necessitas & utilitas publica Ecclesiarum . . . Et tunc istis conditionibus supervenientibus cum recta in-*

*tentione non erit peccatum, etiam nullâ dispensatione interveniente; si consideretur secundum Jus naturale, quia dispensatio ad Jus naturale non pertinet, sed solum ad Jus positivum. Et iterum: Si ergo antiqua jura (positiva) quæ hoc (beneficiorum pluralitatem) vetant, in suo robore maneant (nec per consuetudinem contrariam abrogata sunt) certum est non posse aliquem plures præbendas habere absque dispensatione; etiam illis circumstantiis supervenientibus, quæ secundum considerationem Juris naturalis actum poterant honestare. Si autem antiqua jura sunt per consuetudinem abrogata; tunc prædictis circumstantiis supervenientibus etiam sine dispensatione licitum est plures præbendas habere, sine quibus circumstantiis licitum non est, quantumcunque dispensatio interveniat, eoquod dispensatio humana non aufert ligamen Juris naturalis, sed solum ligamen Juris positivi. Igitur ad mentem D. THOMAE certa est lex prohibens beneficiorum pluralitatem: in dubio, utrum abrogata sit, nec ne; lex prohibitiva est in possessione, proinde in favorem legis contra libertatem pronunciari debet. Nonne hæc ipsa plurimorum Probabilistarum est sententia? Nec amplius elicitur ex Quodl. 8. c. 13.*

*Ad 5tum. Ad honestatem actionis requiri dictamen ultimum moraliter certum, de ejusdem actionis licitate, Probabilistis ferè omnibus persuasissimum est: dictamen hujusmodi ex duabus præmissis, quarum vel una dumtaxat probabilis (aut etiam probabilior est,) deduci non posse, ex legibus Dialecticæ notum est; proinde ex principiis directis deduci nequit. Principia autem reßlexa, quibus in casu Quæstionis nituntur*

tuntur Probabilistæ, aut falsa esse, aut maxime dubia, quis citra grandem Virorum doctissimorum injuriam dicere audeat? non is sum, qui Probabilistarum Catalogum ex omni Ordine, Familia, Universitatibus texere velim; istud solum adfirmo; hæc & similia principia reflexa vel ab ipsis Probabilioristis probanda esse: cuius in operando sequi licet sententiam minùs tutam, quæ ipsi notabiliter probabilior apparet (alioquin tutiorismus rigidus subintrabit) Sententia autem adserens, in operando licere sequi sententiam minùs tutam æqualiter probabilem, apparet mihi notabiliter probabilior (numquid etiam probabilioritas non est nisi respectiva & apparens, adeo ut ex mente Probabilioristarum quisque teneatur sequi opinionem, quæ ipsi probabilior est) igitur sequendo hanc sententiam, honestè operor. Item: Ubi sententia minùs tuta æqualiter probabilis est, lex directæ prohibens actionem probabilius non est sufficienter intimata; ergo nec parit obligationem proximam. Sed neque lex reflexa prohibens actionem minùs tutam in casu æqualis probabilitatis sufficienter intimata est, quia & ista à Viris doctissimis, numero plurimis in dubium vocatur pro casibus non expressis adeoque nec obligat ultra legem directam, nec plus debetur legi reflexæ, quàm directæ; ergo. Denique novitas systematis Probabilistarum imperitè objicitur.

Ad 6<sup>um</sup>. Qui sequuntur sententiam æque probabilem minùs tutam, æque custodiunt mandata Dei ex toto corde, quantum sciunt & debent, ac qui tutiorem sequuntur. Si verò præceptum sit faciendi, quantum quis scit, & moraliter potest, annon tutiorismus rigidus ab Ecclesia damnatus re-

fufcitabitur? viam, quæ ducit ad cœlum, arctam & angustam Christus dixit, non verò imperviam; quo circa reprehendit eos, qui onera difficillima, & importabilia hominibus imponebant. Denique his & similibus argumentis olim utebantur etiam Tutioristæ, *Sinnichius*, *Wendrochius*, alique *Janseniani*.

107. Qui in concursu duarum opinionum æque probabili-  
 Sen- bilium negant tutiorem sequendam esse, his ferè  
 tentia momentis nituntur. 1<sup>o</sup>. Tamquam certa, & in-  
 ne- dubitata ponunt sequentia: *Dictamen conscientie*  
 gans. *ultimum non objectivè, sed subjectivè verum esse*  
*debere*, eo quod veritas objectiva, omni etiam ad-  
 hibitâ diligentia sæpius inveniri in rebus moralibus  
 non possit, atque etiam conscientia invincibiliter  
 erronea non solum à peccato formali excuset, sed  
 etiam obliget ad sequendum. Cæterâ objectum  
 specificat actum, non secundum se, & quatenus in  
 se est, sed in quantum cognitioni intellectus substat:  
 sicut enim nihil volitum, nisi præcognitum; ita  
 nec tale volitum, nisi quale cognitum. II. *Dicta-*  
*men ultimum de honestate actionis debere morali-*  
*ter certum esse*, alioquin operans sese exponeret pe-  
 riculo formalis peccati, quia ageret cum prudente  
 & actuali formidine de opposito. Huc pertinet il-  
 lud *Eccli. 37. Ante omnia opera verbum verax*  
*præcedat te, & ante actum consilium stabile.* Sta-  
 bile autem non est dictamen probabile, probabilius,  
 aut etiam probabilissimum, cum sola certitudo mo-  
 ralis oppositæ sententiæ probabilitatem, atque adeo  
 formidinem actualem de opposito excludat, III.  
*Sententiam verè, & practicè, atque etiam com-*  
*parativè probabilem esse debere*, ut adeo locum

NON

non habeat tenuis probabilitas, quæ non est nisi laxismus, & vera improbabilitas. IV. *Adhibendam esse diligentiam in cognoscenda lege pro exigentia rei majorem, aut minorem, ita, ut tunc solum libertas hominis contra legem in possessione esse censeatur, ubi legis ignorantia prorsus invincibilis est.* Proinde abesse debent omnia præjudicia, sinistri adfectus omnes, omnis negligentia; neque omnis & quævis auctoritas attentionem meretur, sed eorum duntaxat, qui & scientiâ suâ minimè vulgari, & prudentiæ atque integritatis laude floruerunt, vel etiamnum conspicui sunt. V. *Nullum extare præceptum peculiare tutiora sequendi.* His positis ajunt 2<sup>o</sup>. Licere sequi in operando sententiam æque probabilem minùs tutam, tum quia neque lex obstat, utpote invincibiliter ignorata, aut saltem dubia; neque lex extat ubique sequendi tutius, vel actionem absque certitudine directa, quæ sc. ex principiis directis habetur, omittendi; tum quia operans in tali casu agit cum bona fide, & dictamine ultimo moraliter certo, ideoque omnem prudentem formidinem de opposito, atque omne etiam periculum proximum peccati formalis excludente, cujusmodi est, quod supra in *respons. ad 5<sup>um</sup>.*

*Excipiunt Probabilioristæ* I. Quando utraque opinio est æqualiter probabilis, lex directa actionem prohibens est verè dubia, sive dubium est, an ista actio prohibeatur à lege; igitur ab actione abstinendum est, quia in dubiis partem tutiorem eligere debemus. *Respondent Probabilistæ.* Quandoque lex directa homini sufficienter promulgata non est, neque obligat, quia sufficiens

promulgatio necessariò prærequiritur ad inducendam obligationem proximam: sed hæc lex directæ, quam existere, & non existere, æque probabile est, mihi probabilius non est sufficienter intimata; igitur probabilius me non obligat. Et quomodo se resolvet Probabiliorista in casu, quo sententia minus tuta est probabilior, & favens libertati contra legem? Denique gratis adseritur dari legem divinam, vel naturalem, vel positivam, aut humanam, semper & ubique sequendi tutius: aut certè *Rigidi Tutioristæ* eadem opinionem suam communient. Quid si Probabilioristæ Confessario occurrat pœnitens, homo doctus & prudens, sententiam minus tutam probabiliolem reputans, quam ipse Confessarius minus probabilem existimat: an indulget pœnitenti? at legem violat sequendi id, quod ipse tutius arbitratur; an negabit absolutionem? at lædet jus, quod habet pœnitens ad absolutionem casu, quo sententiam minus tutam probabiliolem sequitur.

II. Cùm duæ opiniones contrariæ sunt æque probabiles, lex directæ, sive naturalis, sive positiva, jam supponitur in se promulgata, & dubium duntaxat est, an hæc actio sub lege comprehendatur, v. g. supponitur promulgata lex prohibens usuram; & solùm quæritur: an hic contractus sit usurarius; cùm igitur probabile sit eam actionem in lege comprehensam esse; etiam probabile est, legem obligare; & cùm iterum certa lex sit, in dubiis eligendum esse tutius; peccat certè, qui sequitur minus tutam utut æque probabilem. *Resp.* Lex naturalis prohibitiva mendacii & in se, & nobis sufficienter promulgata est; & tamen fieri potest, ut quis per errorem invincibilem iudicet sibi mentiendum esse

esse. Igitur ut lex me proximè obliget, necesse est, ut mihi sufficienter promulgata sit. Ubi verò pro utraque parte æqualis stat probabilitas, pars altera eodem jure dicit: Lex directæ non est sufficienter intimata; quo altera adfirmat eam sufficienter intimatam esse; proinde non datur obligatio proxima certa legis directæ; neque etiam obligat lex illa, in dubiis eligendum esse tutius, cum nulla sit; igitur libertas manet in possessione. Secus est in dubio practico, ubi operans peccat, quia se exponit periculo proximo peccati formalis. Nemo certè Probabilioristarum est, qui dicat, legem dubiam proximè obligare ratione sui. Quòd autem velint illam obligare indirectè, & ex vi alterius legis reflexæ de vitando periculo violandæ legis directæ, partim non probant; partim incurrunt rigidum tutiorismum.

III. Falluntur, & fallunt *Probabilistæ*, dum ita concludunt: ubi pars utraque opposita est æque probabilis, certa veritas ignoratur invincibiliter, quia post adhibitam debitam diligentiam inveniri non potuit; igitur est invincibilis. Hæc, inquiunt *Probabilioristæ*, conclusio est falsa, quia etsi certa veritas inveniri non potuerit; potuit tamen, & debuit error declinari, sequendo tutiorem partem. *Resp.* Error *materialis*, qui solus intervenit in moralibus, non vitari semper & ubique potest, ideoque nec debet. Error autem *formalis* non datur, quia nullâ lege adstringimur ad eligendum *semper* id, quod tutius est, alioquin nec Probabilioristæ licebit agere juxta opinionem probabiliorem minùs tutam.

IV. Ut quis licitè sequi possit opinionem aliquam, debet hanc posse judicare absolutè veram: istud autem judicium haberi nequit stante æquali probabilitate. *Resp.* Nec ipse Probabiliorista judicare potest, opinionem probabiliorem, aut etiam probabilissimam esse absolutè veram, quia stante probabiliore potest adhuc dari vera probabilitas sententiæ oppositæ, saltem in se *objectiva & absoluta*, quamvis, ut ait, probabilitas *subjectiva* aut *respectiva*, relatè sc. ad operantis mentem tollatur. Multo minùs qui sequitur tutiorem æque probabilem, judicare hanc potest absolutè veram & licitam, quia tunc manet probabilitas non solum *objectiva & absoluta*, sed etiam *subjectiva* operantis, & opinionis oppositæ. Et vel ideo minùs tutam judicare non potest prohibitam. Itaque ut quis licitè aliquam opinionem sequatur, necesse non est, ut spectatis principiis directis illam certò veram judicet, sed fatis est, ut ex principiis reflexis habeat judicium moraliter certum de actionis honestate. Ceterà honestatem *formalem* actionis ab humano judicio dependere, patet in casu erroris vel ignorantia invincibilis. Est sane conscientia, sive dictamen conscientia ultimum regula proxima actionis nostræ, quamvis ipsa opinio probabilis non sit norma ejusdem nisi remota.

V. Dictamen ultimum debet judicare de honestate objectiva actionis, quæ sita est in conformitate cum lege Dei æterna: De illa autem tunc solum prudens fieri judicium potest, ubi pars tutior eligitur; ergo. *Resp.* Igitur tutiorismus rigidus triumphabit. In casu æqualis probabilitatis lex Dei, non quidem *antecedens* (hujus enim obligatio proxima  
invin-

invincibiliter ignoratur) sed *consequens* (qua sc. Deus ex suppositione erroris vel aliquid permittit, vel etiam fieri præcipit, veluti cùm quis invincibiliter judicat sibi mentiendum esse ad salvandam proximi vitam) est regula, unde honestas actionis *objectiva* petitur. Id quod ipsi etiam Probabilioristæ fateri debent, alioquin operans etiam non posset judicare actionem esse inhonestam, quia sicut honestas *objectiva* in conformitate, sic inhonestas in difformitate cum lege Dei æterna sita est. Lex autem æterna *antecedens* sufficienter intimata non est, ubi opiniones contrariæ sunt æqualiter probabiles.

VI. In casu posito si ex probabilitate unius opinionis minùs tutæ potest fieri dictamen ultimum moraliter certum de licentia & honestate actionis, etiam & multò magis ex probabilitate alterius opinionis magis tutæ poterit fieri dictamen moraliter certum de inhonestate ejusdem actionis, cùm tamen circa honestatem & inhonestatem ejusdem actionis fieri non possint duo dictamina certa contradictoria. *Resp. N. S.* Stante æquali probabilitate habentur principia certa pro statuenda licentia actionis, nempe quòd moraliter certum sit licere sequi opinionem notabiliter probabiliorem, & quòd sententia adferens licere sequi opinionem æque probabilem minùs tutam, sit notabiliter probabilior; similia autem principia pro negatione licentiæ adferri non possunt.

α) Quid statuendum sit de opinione minùs probabili, & minùs tuta in concursu probabilioris & tutioris, an illam in operando sequi liceat; non vacat pluribus exponere; certè nihil exinde commodi ferunt *Probabilistæ*,

T §

quorum

quorum vix unus aliquis in praxi eam sequi consuevit Si tamen vera, & practicè tuta probabilitas manet; pro hac etiam sententia proposita hæcenus momenta militabunt. Ceterà uti cavendum sibi putant *Probabilista*, ne in laxissimum declinent; ita princeps hæc *Probabilioristarum* cura esse debet, ne in Tutiorismum rigidum, & ab Ecclesia damnatum degenerent. Plura qui hanc in rem desiderat, plenos omnes libros inveniet.

## DISSERTATIO III.

*De Legibus.*

108.  
Noti-  
tio  
Legis.

**A**ctionum humanarum honestas, vel inhonestas quia in conformitate, aut difformitate cum lege sita est, ordo nunc postulat, ut de Lege ipsa disseramus. Lex autem sive à *ligando*, eo quod subditos veluti liget, & quodam vinculo morali constringat; sive à *legendo*, quoniam scribitur, & legenda proponitur, dicta generalissimè definitur *regula agendorum, & fugiendorum*. S. THOMAS sic magis propriè illam definit, quòd sit *mensura & regula, secundum quam inducitur aliquis ad agendum, vel ab agendo retrahitur, h. e. obligatur ad agendum, & non agendum*. Ad mentem Grotii L. 1. c. 1. §. 9 *Lex est regula actionum moralium obligans ad id, quod rectum est, & laudabile*. Lex Puffendorffio est *decretum, quo superior sibi subiectum obligat, ut ad istius præscriptum actiones suas componat*. Ab aliis definitur *voluntas jure imperantis, subditis declarata, actiones alias jubens, alias vetans, præmiis propositis, & pænis*. Communiùs definitur *lex solet ordinatio rationis ad bonum commune ab eo, qui curam communitatis habet, promulgata*.

Itaque